# JACOB BALDE MEDICINAE GLORIA PER SATYRAS XXII (2424 vers)

HYMNUS IN LAUDEM SS. MARTYRUM COSMAE ET DAMIANI ARCHIATRORUM CAELESTIUM.

M1_1

Hospites divos celebrate Boii,
inclytum quorum medicina nomen.
Mors triumphato pretiosa majus
reddidit hoste.
Dico felices quibus invidendis
sede Bremensis tumuli relicta,
fratre cum Cosma sua Damianus
credidit ossa.
Martyres fluctus maris aestuosi,
et rogus circum religata fusus
membra testantur, rigidoque cervix
ense recisa.
Nulla virtutem subigit potestas.
Hinc aquae surgant, crepet inde flamma ;
semper exultat tamen inter undas
major et ignes.
Ergo festivis operata votis
Caelites dignos colat omnis aetas ;
et novo supplex utriusque palmam
ornet honore
vos quoque illustres animae, virorum
fortium pridem numero receptae,
dum facit vestri studiosa plebes
vota, favete
nec sua fraudat metus infidelis
spe pias mentes. Monumenta vestrae
artis ex auro tabulae loquuntur,
pignora vitae,
quam domum visu semel expiatis,
sanitas intrat, fugiunt dolores,
et niger Luctus. Fugit ex aquoso
corpore languor.
Lanceis migrat laterum retusis
dira pleuritis. Tremulo jubentur
et vacillanti pede versipelles
cedere febres.
Paret ad nutum, putribusque mammis
cancer erepit. Faciles adiri
calculi sidunt ; minuique arena
affluit ultro.
Mortuae vobis rediviva debent
astra pupillae. Nebulosa rursum
et sinus caecos oculorum acuto
pingitis igni.
Efficax per vos redit auris usus,
tristibus nimbis caput explicatur ;
vimque fatalem cerebro caduci
fulminis arcet
claudus, et gressu vitiosus ante,

mox levem nervo solidante plantam
integer, ritu salientis haedi
currere gaudet
haut opus vena lapidum, vel herbae
flebilis succo simul attigistis
pectus afflictum ; simul evaporat
morbus in auras
sic, precor, nostris, Arabes beati,
saepius nosci cupiatis Aris.
Sitque, nunc in qua capitis quietem,
foederis arca
hanc, odorato redeunte vere,
casta velabit violis Juventus ;
terque perfundet merito quotannis
imbre rosarum.

## LIBER SATYRARUM.

### SATYRA I.

M2_1 Atque adeo carmen scribi nunc posse putatis,
Pierides ; quale aut Lucilius, aut sale multo
qui pravos fricuit mores, bacchatus Aquinas ?
Scribamus. Si non ut Persius, ut Matho saltem,
quos sanare nequit, solitus decorare sepultos
lugubri versu, et damnum sancire canendo.
Est aliquid, medicum properare epicedia posse.
Quisque tamen mallet vivo soteria dici.
Damnamus culpas, et culpis utimur illis.
Quis facit hoc ? Socer Hipparchini, judicibus qui
crebra latrocinia objectat transmissa per aurem
impune, et plures interficit ipse medendo ;
quam Milo, fraxineoque armatus fuste Procrustes,
nec socius Mamurra negat. Sed lentius, ohe !
ingrediamur aquas, praetentemusque profundum.
Ne subito tumidum Momis perflantibus aequor,
immanes Satyras vectans Parnassia puppis
in brevia et syrtes, scopulosque avulsa feratur.
Difficile hoc aevo est sanctum proponere verum,
sicut in aprico se res habet, et sine fuco
experiar primo, quid nostra novacula ducta
mollius, atque acie vix radens summa comarum,
quidve pati possint doctae, quas scalpimus aures.
Post, nisi Crispinus vetet, aut Paris histrio, collum
cornigeri Rheni et pectus tentabimus Istri.
Quid facias ? Seneca et Burrhus, dum recta loquuntur
incurrunt odium. Sed morte est foedior ipsa
vanus adulator, junctus Veiento Catullo.
Quorum alter, quamvis (jucunda insania ! ) caecus
mirari piscem non visum sustinuit, prae
sollicitudine mirandi gaudensque tremensque,
ut pedibus vix stare, et gyros carpere quiret.
Hamo tanquam esset balaena Britannica capta.
Dignus, qui calvo muscarum hominumque tyranno
ex parvis faceret majora, ex musca elephantum.
Rhombus erat patinae claudendus moenibus. Altam

Veiento testam, figulo sudante, paravit.
Nempe omnes talpae sumus, ut noctis duo frusta haec !
Quin aliqui et lynces. Liceat modo visa referre.
Sed nocitura graves exhalant nubila vultus,
unde Joves tetrici censoria fulmina cudunt.
His igitur caussis ego, quandoquidem sapienter
omnia. Nec laudare libet, nec carpere fas est ;
tutius in medio statui decurrere campo,
obtundam stimulo : palpum aversabor et una.
Nec durus, nec mollis ero. Pharetratus echinum
non minor, et vapidam vulpem promittere nolo.
Illius exemplo, qui aegrotis crustula blanda
offert, et succos apianis condit amaros,
nos melimela uno pariterque absinthia libro
miscuimus, mustumque, et vim mordentis aceti.
Quo nimbo Europen deceat perfundere totam.
Si modo facta hominum quae vidimus atque videmus,
ponderibus positis, lance expendamus utraque.
Sed nunc sola mihi celebris medicorum agitur res.

## SATYRA II. SCOPULI IDIOTARUM NAUFRAGIO INFAMES: MEDICIS VITANDI.

M2_2 Tempore quo Cosmas et quo Damianus agebant
in terris, medicis clari successibus ambo,
Mors intra fines arte regnare coacta est ;
imperioque truces morbi cessere. Sed ex quo
imminui probitas, augeri turpe lucellum,
rideri Superi ; cum Numinis ultima cura
saepe etiam nulla est, magno Libitina tumultu
tristis functorum late pomoeria profert
haut opus est umbrarum ergastula quaerere. Monstrant
mille cruces. Passim produnt se funera, passim
stipantur, tanquam segetes e semine dentis
in fundo fatalis agri produxerit horror.
Semita funestis insignibus omnis abundat.
Protollis quocumque pedem, monumenta doloris
territus invenias. Jam pene et marmora clamant.
Plura sepulcrales siquidem vertuntur in usus,
quam Nero luxurians insanae impenderit Aulae,
tertia pars Urbis uni cum cederet aulae.
Si gravis aspectu, flagranti crine Cometes
imminet , aut foetens mediis reseratur Avernus
faucibus, et Stygio texit vapor aethera fumo.
Nemo repentinas, polluto sidere, mortes
miratur. Fastus, furor, indignatio cessant.
Omnes supplicibus lacrimis abscondimus iram.
Plana via est. Urbes in coemeteria migrant,
et migrent. Quis enim Fatis Parcisque resistat ?
Donec nube sedens Nemesis divina flagellum
torquet, et incusso populos diverberat angue.
Tunc medicis veniam damus, et miserescimus ultro,
spe dempta, moriamur, et in media arma ruamus.
In tumulos liceat descendere, et agmine facto.
Indignanda mali vis est quoties sine causa
gens humana perit, dulci allucente sereno.
Cum solo errorum conflictu vapulat aeger,

crassaque per summum scelus ignorantia saevit.
Vera queror. Nam saepe dies indulget amicos
annus et optato conspirat foedere caelum.
Clarescit sanus puris Aquilonibus aer.
Compedibus vinctus patrio sedet Auster in antro
nec sinit excussis febres diffundere pennis
Aeolus, infelix nihilo minus Artemidorus
exonerat lectos et Ditis in atria volvit.
Unica Summani non sufficit hostia sacro.
Traditur inferiis domus integra, stirpe recisa.
Dic mihi, Carmenion, quot jam demiseris Orco :
centum. Jurato forsan tibi credere possim,
altera si centum septenis millibus addas.
Quot tua barba pilos numeraverit, aut folia Eurus
decutit arboribus, brumam revehente Decembri.
Hic tamen in pretio est. Facit experientia tutum.
Emeritum Eurybaten pluresque occidere pigrum
praefero conanti virides inducere caestus.
Hunc delectat adhuc cruor, ut vibicibus instet.
Pervulgata locis Italumque paroemia certa est.
Tonsores juvenes medicosque aetate senili
Florentinus amat. Quis non prudentior optet ?
Nolo manus tremulas infra mihi ludere mentum,
et dubio jugulum fruticantem radere cultro.
Esse tamen poterit sanissima potio, quamvis
det tremebunda manus, certique oblita tenoris.
Prodigium est olim, si quem curaverit Idmon.
Hoc tamen acceptus : cito, quorum credita cura est,
expedit, et poenam non tres extendit in annos.
Tam facile ac nullo vitam molimine solvit
quam facile asparagi viso, vix igne coquuntur.
Sicut quondam epulas inter conviva solebat,
post quartum calicem, lepido sermone jocari,
proximus a primo descendens Caesar Iulo.
Austriacus Thermis Carolinis Pansa relictis,
se persanandum Saufello credidit Hasso.
Nunquid desipuit ? Sic certe. Quippe bimestri
vix spatio morbos duplicari sensit acerbos.
Viscera tabescunt pulmone scatentia putri
et crasso stertunt pavefactae sanguine venae.
In pulsu modicus vigor. Ut de lumine laeso
nil dicam, poscente quidem collyria, sed quae
non lacerent tunicam. Stellas ophthalmicus acer
languentes guttis laesisse putatur ineptis.
Sic, dum oculi siccare cupit vel sistere fluxum,
incustoditam pupillae perdidit uvam ;
secreto usus eo, quo Plotius et Crepereius
assueti vitiis, quorum excusatio calva est.
Cur non aut citri succum, aut chelidonia sumpsit,
plorantemque rosam ? Vires Venus indidit illas.
Quidam Naturae permittunt omnia : quidam
pene nihil, sic excessu peccatur utroque.
Sirius exemplum latrans dabit. Aestuat amens
febribus Ucalegon, et jam caput omne crematur.
Tantum non tabulata ruunt de vertice. Bina
tempora dissiliunt, nimio calefacta dolore.
Non affundit aquam tamen Alcimus. Alcimus inquit :
concedenda quies primum. Lux crastina pandet

morbi congeriem pandet ! Sed triste cadaver.
Ingressus noctem, vacuum qua Delia cornu
inchoat, et nitidos gaudet proferre juvencos ;
debilis Ucalegon occasu lugubre tectum
fecit, et obscurum singultibus aethera rupit.
Indocto medico non tessera certior ulla
exitii. Salve noster Bithynice, salve !
quo pereunt homines tanquam ad data classica viso,
exclamat tumuli custos ditissimus olim
Gloggaviae. Sub quo praeclara stipendia fossor
fecerat, ut terrae functos inferret apertae.
Saepe quidem mystax, et dactylotheca, togaeque
Syrma fluens, humeroque gravato pendula torquis
atrocem in morbos formidandumque tyrannum
promittunt. Tenta. Disces nil mitius Umbro.
Apparet tantum mandatis durus et asper,
sed non respondent caperatae cetera fronti.
Atticus est, suavisque Nepos, et Laelius, et qui
attraxit multum de Maecenate supino.
Ut pater imperio in natos vultuque severus
castigat parcente manu. Parere recusat
febris, et irridet neque enim dignatur abire ;
sed cata frigentis se viscera condit in aegri.
Sic quondam obsessos genius malus abnegat artus
linquere, ridiculis tortoribus usque rebellis.
Donec praeconem Romanus mysta profanum
suppleat, ac diris conceptis verberet Orcum,
tandem indignantem ; jubeatque recedere nigrae
in caveam Empusae, et loca feta furentibus Austris.
Qui podagrae serram scindentis crura retundet,
vicinaeve necis stimulos capitaliaque arma ?
Si neque viscosum tumefacto gutture branchum,
nec flavum icterico vultu Nasica colorem
propulsare valet, suspensamque aure parotin ?
Consule me, Canio quoque Marcelloque nepoti
non nimium fides animos a funere sumunt.
Venturique pavens implebit vota prius, quam
desuper e cerebro stillans apoplecticus instet
Malleus, ac diro praecordia fulminet ictu ;
et fracta cordis vires incude fatiscant.
Difficile est relevare, ferit quem sacra Dei vis.
Castricus ac Velox, et Erotion, ordine nullo,
exhaustas aedes caeca sub morte relinquunt,
sic equidem exhaustas ; ut credas, qua data porta,
aut pestem, aut Hunnos intrasse ea moenia. Totum
pene forum vacuum veteri migrante colono
ad furvos manes. Hoc est, purgare cicutam,
et, ne se urticae cum luxuriantibus herbis
attollant, crescentem eradicare popellum.
Artibus his intra bis binos Symmachus annos
centum interfecit. Truncasset acinace plures ?
Detestabilibus mirmillo noctis in umbra
cum triplici telo nullus grassator agit rem.
Qui tot delicias Hecatae facit, et turmatim
aegros praecipitat ; merito suspectus habetur ;
ceu tribus e Parcis uxorius ambiat unam,
cur tot enim Matri Libitinae mactat homones ?
(Atque Oseos utinam tantum) si non Hymenaeum, et

Eumenidis gnatarum unam sibi quaerit amicam ?
Quando vel propter centum praeputia pactae
emit reginae sibi conjugis oscula pastor
armipotens, major procus, inferiore paratu.
Hic totas acies populatur, et integra raptim
funera lenonum ritu, ceu munera mittit.
Quisquis inaudito taedarum es percitus oestro,
mensque amens eadem durat, Plutonis avari
ut gener esse velis ; vivas, votoque fruaris.
Et rape, si non dat. Quippe ipsa Proserpina rapta est.
Nuptarum genus hoc liceat divellere torvis
matribus invitis ; etiam opponentibus angues.
Inclametur Hymen, Acheronque assurgat ab imo
pronubus. Elysiae Charites jam nobile pingant
flammeolum, et dirae praevelent ora puellae.
Seu Lachesis, seu tu Clotho, sive Atropos atra,
seu tu Tisiphone, seu sponsa Megaera futura es.
Quid loquar Euripidis Fata aequatura cothurnum ?
Audisti medicos factos aliquando Tragoedos ?
Rem veram memoro. Nostris aetatibus aegrum
oblectaturus, jactabat non ita pridem
Gorgones, Harpyiasque, et ferricrepum Stymphalon,
et quidquid scenae medio proponitur hirco.
Dum loquitur, vastoque sonans protuberat ore,
triste paroxysmus Suevum convolsit Orestem.
Vis finem ? Tragicum funus Casselius apte
composuit, totumque in tergo exegit Orestem.
(Ut melius nec Volsce queas in limine libri)
quo nunc ille situ jacet, integiturque sepultus ;
i nunc, et solis laurum concede poetis.
Insuper et tales medici meruere cupressum.
Haec tecum expendens, fueris temerarius, atque
humanae oblitus sortis ; ne Fata tot inter
improvisa, satis reverens habeare futuri.
Si vel tussicula leporis vexatus Arellum
aut Dasium, fratres infausto sidere natos,
sub tua tecta voces. Cosconi, fidis Arello ?
Quo praesente novem perierunt nuper, heri tres.
Quin coram septem prius, ut dant jura, rogatis
res dispone tuas, et confice testamentum.
Tum velut exemptus curis, et abire paratus,
insessas fauces timide permitte medenti.
Praedico. Non es jactum discriminis extra.
Ecce haeret, dubitat, pallet, desperat Arellus.
Dispeream, nisi te quinta curavero ficu
tosta in temeto, dulcisve embammate musti.
Optime Cosconi, si non est laeva tibi mens,
muta degenerem Galeni aut eice pullum.
Non hunc Phoebus amat. Illo, quam quaeris, in ovo
nulla salus. Soli luctus comitantur euntem
et densi Manes. Oculis si cernere posses
triste satellitium ! Pompa majore videres
stipatum latus in plateas gradientis et agros :
quam domito Marius Cimbro, Pompeius Jarba,
Cum reduces, inter plaudentis jurgia vulgi,
Fascibus Ausoniis cincti intravere senatum.
Pauci adeo digni flavam contingere Phoebi
caesariem, vittamque manu, volucresque sagittas,

ac Tripodem, et majus cantantis Pythia plectrum.
Paucis concessum est versum recitare Maronis :
"Ille ego (sed digitis fumosa altaria tangens)
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus."

## SATYRA III. MORBORUM INITIA ET CAUSAE: MONSTRIFICORUM MEDICAMINUM INVENTA.

M2_3

Saturno regnante, dies fulsere sereni
erutaque ignotis ex montibus aurifodinae,
massa coruscantis fuit atque optabilis aevi.
Aurea currebant flavo pede lustra per Orbem.
Nusquam visa lues. Tranquillae vivida laeto
Naturae facies recubans in gramine risit.
Poma fames, et lympha sitis ; blanda otia, curae.
Pura dies ibat silvis praebentibus umbram.
Nox amor, et vacui terroris imagine saltus.
Sidera suadebant placidos labentia somnos.
Nescitum ,qualis foret aut quae bellua, morbus.
Nullus erat medicus, nullus medicaminis usus.
Haec obfuscatis Argentea solibus Aetas
protulit in Mundum ; sed jam migrare parata,
obtuso medii fulgore utcumque metalli.
Ebrius ambrosia nonnunquam Juppiter, ictum
mane querebatur nebula caput, ac bene laesum
caelesti succo, ridente sorore marita.
Nil ultra tamen ausa jocum est ; lepidique dolores
sponte remittebant, quoties invisere venit
Volcani Liparen et fallere tempus eundo.
Ut lustrare solent armamentaria reges,
cum nimiis epulis cibus exsurdavit orexin.
Haut aliter Saturnius ad fabrilia tendens
Montibus in Siculis opera ; et defixus in arte,
fulmina gaudebat tot jam spectare polita
ac librare manu collaudabatque Cyclopas.
Sed postquam invaluit potandi dira libido,
largius in grandem phialam Phryge fundere jusso
immortale merum, plenum cephalea Tonantem
fortior illisit. Furere ergo, et nigra ciere
nubila, Junonemque suam fugere atque fugare,
mox et adulteriis, quae cornibus, imbribus, alis
texerat, indulgere, et se fratremque, virumque,
cognatumque torum, totumque impendere fulmen.
Huc sitis et nimii deduxit nectaris haustus.
Cum Jove mutatis homines quoque moribus, usi
exemplo Auctoris magni subeuntis ; et ipsi
paulatim vitiis novitate trahentibus unum
post alium, ac dulci cor titillantibus esca,
permisere rapi, rapuit quo prima cupido ;
nondum insana quidem, sed ferri prona deorsum.
Irruere autumnis, alienas carpere messes,
majores facere alveolos, plus sugere lactis,
plus haurire favi, bilemque augere natantem.
Inde intemperies aliqua et mutatio venae,
et jam dimidii sublapsa crepuscula morbi.
Non tamen ullus adhuc, ut membra reduceret aegri
corporis ad normam ; formicarum ova comesse,

aut cum lumbricis argenti pocula vivi
sumere visus erat, cineremque ex dente lupino.
Ignorabantur cancri fluviatilis exta.
Nemo bombycum sanum se stamine, nemo
testibus haedorum voluit. Quid nominis Album
Graecum, quas vires hircorum sanguis haberet,
fel aquilae, cerebrumve ; lien vel tostus echini ;
vel canis ustus adeps. Latuit felicius omnes.
Incolumes ut adhuc gaudebant simplice victu,
sic se curabant usu quoque simplicis herbae.
Sed jam nulli operae, pretio, fruticique marino
parcitur. Ignotae procul et trans aequora lectae.
Radices, magno sumptu votoque petuntur.
Cachunde, et China, et Guatacum, barbara dictu
germina quis veterum sumpsit ? Quis noverat usquam
crescere ? Conteritur, propinaturque corallum.
Post asini auriculas, longumque hoc mobile, sanguis
elicitur, bibiturque avide nec non aqua pastae
anguillae, colubri moechae, et cum spermate ceti
lampyridum expressus nitida putredine succus,
non mihi si centum linguae ; praecepta medendi
enumerare queam, lentoque dolore necandi.
Quae Phalarim scripsisse putes, dictasse Perillum.
Pulvis Trithemii et bufonum, salque lacertae,
mistaque ranarum putrefactis viscera corvis
ichneumon Pharius coquitur ; stomachoque ministrant
arida Tartareas purgando dolia crustas.
Nil haerens inter sacrum saxumque Bathyllus
horrebit. Quaerit "Afflicto obsonia praebe."
Ut morbum expellat, crocodili stercora linget.
Immissasque feras patietur inhaeret hirudo.
Non missura cutem, credas in corpus aquosum
demissa bolide hunc vermem, velut in mare rubrum,
velle urinari. Sic alte infixa proboscis
exsugit venas. Hos ergo jure beatos
dixeris ac Superis caros, quos absque medentum
tristibus inventis, et lenis et alba senectus
non sine cygnaeo solamine sponte resolvit.
Cantharides loquar aut stridentis vulnera ferri ?
Quaeque facit calido ventosa cucurbita tergo ?
In minimis referas. Nonnemo sulphure tinctus
ejulat, et canis thermarum mergitur undis.
Si jubeat medicus, taeda lucebit in illa.
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant.
Scilicet haec poscunt olim cauteria sudor
Anglicus, et pugnans in Gallica lilia foetor.
Omne malum secum produxit ferrea proles,
et paria impulso devolvit cardine secla.
Ne dubites : rigido nati constantibus annis
aere, sui generis praebent documenta nepotes.
Quippe aegri ferrum chalybemque vocant, et ab illo
fumantem insinuant venis torpentibus undam.
Flebile morborum terras circumdedit agmen,
carcinus, aurigo, scabies, epicaumata, febres,
coeliaca et vomicae, nephritis et enterocelae :
lethargusque tenax, spasmusque, ac languida narce,
quantula pars ! Quid creta pedum, piceique ridentes ?
An non flaventis chiragrae farcimina prostant ?

Non haemorrhoides fons est, pituita, malorum.
A capite arcesso. Simul accubuere rotundis
luxus et ingluvies mensis ; haut impare ludo
quadrati mappa consurrexere remota
et nova nascentes aequarunt fercula morbi.
Hic miseros medicos facit exitus. Undique saevi
persultant hostes. Parte impugnantur ab omni,
cumque coquis jam bella gerunt. Certamen iniquum,
hinc duo vel tres stant : ingens exercitus illinc,
noctes atque dies fervent adipata macelli
proelia. Certantes miscet pincerna deunces.
Omnes thyrsigeri, sunt omnes archimagiri.
Posse diu speres sanum lautumque valere
carpophorum, cujus vitae pars maxima, daps est ;
Causaque vivendi, bibere ac vomere, et saturari ?
Tuccius aestivam glaciem, Rhodopeia frusta,
fervidus a lusu post Chia et Massica rodit,
sic quoque calloso brumam sentire palato
dissimulat. Sed membra rigens stupefacta fateri
cogitur, et produnt pestem intestina receptam.
Haut igitur miror, si ganeo Numantinus
crudum pavonem, quem secum in balnea portat,
portet et in tumulum. Pereunt, quia vivere taedet.
Utque puer formosus Hylas cum fonte, suaque
Narcissus facie ; stulti cum morte jocantur.

## SATYRA IV. DE AQUAE POTU AEGRIS PRAESCRIBENDO.

M2_4
Sunt qui Neptunum Neptuninenque Lyaeo
anteferunt, toti Tritones atque Lycurgi.
Qualis Fonteius pater extitit Hydrophilorum,
et quidam salsis non illaudatus Ulubris.
In cratere meo Thetis est permixta Lyaeo.
Bucchanane, Stygem poteras evadere, si sic
omnia dixisses Scotorum trossule. Malo,
malo nives castas ac sobria carmina, quam quae
dictavit Leonora tibi, pellexque Neaera,
Pasquillusque tuus, qui foedos inter amores
ebria nocturnis commiscuit orgia sacris.
Ista suo semper Fonteius occinere aegro.
Fixum est atque ratum. Morbo quocumque labores,
ad fontis mittere cadum ; factusque liquentis
potor aquae, suges vitreae libamina mammae,
quam tibi praebebit virides resoluta capillos
Nais, et invitum bis cocta proluet unda.
Hem ! valeo. Recte est. Sed non bene concoquo cenas.
Tum nil alter ad haec, nisi rursus aquam. Trepidanti
sistitur Unidio simplex Acheloius humor,
hic renova ludos, hic Bacchanalia vive.
Flebiblis aspectus, medicinaque digna Batavo
remige, qui meruit submergi gurgite nigro.
Ut quid enim venter pavefactus frigore, membri
alterius peccata luit ? Quo jure Laconum ?
Si caput indomitum est, podagraeque recalcitrat aestus ;
in caput inque pedes flagra opportuna parentur.
Quidquid delirat gula, plectuntur stomachi. Nil

est ignobilius, nihil est projectius illis.
Sic Nomentanus Nomentanique sodalis
Dindymus aurificis, pictorque Vacerra queruntur.
Ex me si quaeras, dicam, quod sentio. Vinum
dilutum modice, ut semper mediocria prosunt,
culparit nemo. Moderator Aquarius urna
infringat nimium cataphracti robur Iacchi.
Ne conceptus, ut est fallax luctator, et intra
viscera terribilis, caput arietet, atque labantes
inclinet plantas ; aut ignibus augeat ignes.
Plura rogas ? Non omne merum, nisi cornua sumat,
censeo miscendum ventres cruciantibus undis.
Omnis adulterii speciem fugiamus et umbram.
Anseribusne parem quaerit facere Hydrochoos te ?
nec vero in totum crenen, sed pocula damno
algoris rapidi ; quoties, mandante Pecetto,
perpetuus purusque latex offertur. Anhelat
aeger, ut ante oculos surgit praeruptus aquae mons !
Tunc vertigo rotat, tunc circumvolvitur aer
Balthicus, et Finni reduces instare timentur.
Triste est supplicium Germano audire : carebis.
Si neque suspendit patrem, matremve cecidit.
Germanus sitiens et ferrum poscit et ignem.
Nessaeique furit tanquam in thorace veneni.
Quot gradibus distant posca horrida, et Arferia et Styx
visceraque ac renes lacerans aqua zelotypiae ?
Hydrophobus Teuto morbum hunc ex ubere suxit.
Ad lymphae nomen pallet, sudat, tremit, alget.
Est metus iste cadens in ahenea pectora firmi
constantisque viri. Quis jam succenserat Aulo.
Aut positum in tali crudelis damnet agone,
si inclamet Superos, fugiens medicumque, sitimque
et Lauretanae reus aedi devoveat se !
Aut ubi vitiferis favet indulgentia Divum
collibus, ac sicci madefiunt vota coloni.

## SATYRA V. PROROGATAM HOMINUM VITAM, SUMMAM MEDICORUM GLORIAM ESSE.

M2_5

Ad vestras, medici, supplex prosternitur aras
humanum genus, et se delirare fatetur.
Vosque per indignos casus ac Fata precatur,
perque patrem imberbem barbatae prolis et anguis
insanos quocumque modo compescite fluctus.
Non petimus nobis in tergum jacta redire
secula, et elapsos reddi, quos egimus, annos.
Sed neque rugosas pelles, ut callida serpens,
exuere ad verni nitidos Hyperionis ortus.
Aesones, Aesonidesque velint candentibus atri
ex cygnis fieri, mutato vellere corvi
rursus et in juvenem pulsa transire senecta.
Quod Medea tamen poterat spondere marito,
ac socero praestare suo. Sed filia solis
hoc habeat juris sola ; atque ut opinor, habebit.
Oramus, Domini vitae, (tolerabile votum est)
ne dulces animas, et vixdum in corpora fusas,
ante aliquot gustus lustrorum usumque virilem,

per fas atque nefas cavea exturbare velitis.
Induerat primum praetextam Sosibianus,
Baeticus exuerat. Vel sic extinctus uterque
mittitur in saccum pullo coopertus amictu.
Ah ! quantum distant velamina prima secundis !
Non poteras Agrippa patri retinere gemellos ?
Saltem unum ? Sed te melior potuisset Ofellus,
ni tunc Rhenensi percussum tempora thyrso
Indorum domitor tardasset maximus Evan.
Ebrius in villa somnum proflabat inertem.
Ne stupor iste novus large potantis Ofelli.
Dicere cum Flacco poterat : "Sicut meus est mos".
Arripiebat enim, quemcumque occasio calvo
praebuerat crinita scyphum. Nec pauca cadebant
illi inter calices cretatae in sede popinae,
ambubaiarum medium cingente corona
hic epulabatur, cantabat. Sobrius autem
unice erat dignus quaeri ; morboque caduco
oppositus, multos jam tumbam et funus olentes
fortiter occurrens ipsis revocabat ab Umbris.
Haut similis tibi, Cicerri, quem stramen opertas
ante fores positum, fragmentaque sandapilarum
ob tristes casus non uno nomine damnant ;
plurimaque accusat stridens apud Aeacon umbra.
Sis licet hydropotes, evitatisque tabernis
calcato nunquam violaveris ora racemo ;
praeterea intendas nervos, adituque frequenti
affectuque patris languentia corpora lustres ;
non tamen aspirat Fortuna noverca labori.
Ut frustra invitis conamur plurima divis !
ut raro in terris donorum sparsio tectae
virtuti commensa datur ! Sceleratus et excors
saepe fugat morbos pollentius, et balatrones
tanto splendidius populi celebrantur in ore.
Vir bonus ac prudens inglorius exigit aevum.
Et propter fastos cumulatis mortibus atros
explaudenda crepat fugienti fabula vulgo.

## SATYRA VI.HERBIS, NON VERBIS PELLI MORBOS. SOBRIETATE ATQUE EUTRAPELIA MEDICOS COMMENDABILES REDDI.

M2_6

Est aliquid, quod non damno, sed inutile solum
credo praesidium. Glyptus sermone Pelasgo
utitur, assiduus recitator, et omnia verbis
oblinit Hippocratis, saepe et resonantis Homeri.
His fretus circum pulvinar debilis Acci
ambulat, et tumidas buccis elatrat Athenas.
Atqui non ructus peregrinae aut murmura linguae
sorbere, aut Smyrnae quas fudit caeculus offas ;
sed fieri sanus pacta mercede volebat.
Ille male affectus nil tintinnabula curat
Dorica, et inflatos Argivis vocibus utres,
tange rumens ulcus, letalemque exprime tabum ;
et mihi major eris Senensi Savonarola.
Nonne vides sudare Lares, lacrimare Penates ?
Et gnati et genitrix, et caelebs filia plorant.
Tu Graiam insipiens occentas Iphigeniam,
aut aliqua ex cerebro jacularis rheumata Coo.

Redde suum potius patriae, bone Graecule, civem ;
redde patrem natis, thalamo uxorique maritum.
Istud enim conjux, istud Respublica poscit.
Quo tua garrulitas ? Ciceroni verba relinque,
altaque facunda manantia Rostra saliva.
In plano te stare velim, ac pugnare minaces
in morbos. Tuus, o Glypte, est Catilina catarrhus,
fallax et tectus nebulo. Caput ille Latinum
obsidet ac fauces. Tuus est Antonius hostis
infestans frictu renes et calculus urens :
atro damnandus, quamvis sit candidus ipse.
Si sapis ac sentis ; tua, Marce, est Fulvia febris,
Fulvia pleuritis ; non linguam sed latus omne et
corpus acu pungens. Hic te non ore, sed arte
Magnum oratorem, Ciceronis simia magni
Glypte proba. Pelle urbe, foro, totoque Senatu
corporis infandas, nocitura catharmata, pestes.
Occulta pejus quid seditione Catarrhi ?
Proditor hic quot jam Summano tradidit arces ?
Ergo intestino ne sis clementior hosti.
Merge, vel exsicca. Chirurgi stringe securim.
Lictoresque tui procedant pharmacopolae.
Hecticus insignem medicum, non rhetora quaerit.
Illum ego laudabo, qui me in squalore jacentem
eriget, obstipus licet ac taciturnus, et alter
Sigalion ; seu qui freno compescuit ora,
in bove formidans animam mordere parentis.
Krembsius occurrens aliquis mihi vellicat aurem.
Perquam rarus erat sermo, neque lacteus illi,
quin potius grate morosus, et intervalla
distinguens languente joco : sic, ut tamen idem
odisset siccum. Promptus, quotiesque vocasses
aeger in auxilium ; veniebat non sine rugis
mollibus, interdumque renidens, ut pluvius Sol.
Pulsu explorato, pauca interfatus obibat
huc illuc conclave ; ac, post quam, quid faciendum,
et tussim et barbam fluitantem consuluisset,
poscebat philyram, calamos, atrumque liquorem ;
fundebatque chaos. Solito mox laetior, imis
extractum fibris morbum, quicumque latebat,
trans caligantem projecit in aequora Thulen.
Ergo uter est praestabilior ? Gaurus minus aptis
moribus ac mutus, sed felix ? An male notus
funeribus solis, at multi Chaerilus oris.
Volvit enim eloquium rapido torrentius Oeno.
Idem mergit humo sepelitque frequentius Oeno.
In jus nuper eum statuebat Sulla vocare.
Balneolo inclusus, tum ferro sectus et ustus
jam liquefactam animam pene exsudabat in undas.
Jussus ad haec, quamvis offerret dona, sitire
mensibus aestivis, quantum non dipsade laesus.
Atque hoc inter aquas. Miseranda prooemia mortis :
vix Agamemnonio generi, vix nota Mycenis.
Auditus dixisse fuit Mesalla facetus.
Quam sequor ac teneo, non secta licentior ulla est
utiliorque mea. Nam quo discrimine scindunt
se patiens et agens, medicus se scindit et aeger.
Conventum pridem ex aequo est : patiatur ut alter.

Alter agat. Quaenam ergo tibi dicenda videtur
conditio tolerabilior, vel iniquior harum ?
Crede mihi experto, Fanni : tu quomodocumque
si quem interficeres ; mucronem stringeret ultor,
et caderes. Nobis licet hoc impune sub umbra.
Insuper et merces, nonnumquam et praemia dantur.
Punit, ais, delicta satis rumorque pudorque,
eque cadaveribus putridis infamia nascens.
Mi Fanni, nullum metuas a funere probrum.
Ede, quis ille diem mihi, cujus nomine dicet ?
Ad quem praetorem, quove a lictore citabor ?
Res mea confecta est. Morbo, non arte peritur,
ars non peccavit : sed Adamus et Eva, neposque
posthumus, et quotquot nuper tumulavimus una.
Quid medicum vexas insontem vane Sophista ?
Debita Naturae damnati solvimus omnes
solvemusque. Cinis sumus, in cineremque redimus.
Glebaque rubra manet primi mensura parentis.
His me consolor, quoties spes ultima fallit,
et Parcae abludunt. Erravi saepe necando ;
dicere seu mavis, errando saepe necavi.
Errores tamen alta meos tegit ac tumulat scrobs.
Nullum propterea tutus formido tribunum.
Omnia qui cernit, nostras sol prodere noxas
et monstrare nequit. Nam terrae abscondimus alvo.
Euge pater patriae ! Dii te ! Sed tela repono.
Vivat Cocceius. Nam qua peccavit, eadem
libertate reum se judice teste fatetur.
Talis ab occisis proprioque absolvitur hoste.
Vivat et Aufidius, Longarenique. Propinquus
Corbulo. Tres istos adversis imputo Fatis :
quidquid agunt, infelices. Laudaverat olim
discendi cupidos Carmona ; nec impedit aetas
quominus insertae jubar indolis emicet, atque
per Larissaeum currat prudentia campum.
Successu sed enim studium fraudatur amicum.
Vibidius Dresdanus erat mirabile plasma,
sic pactus secum ; quoties eluserit arcu
conatus Mors vafra meos, et dempserit aegro
fatalem capiti tondens Proserpina crinem,
uno me quoque convolsum privabo pilo ; qui
exhibeat numerum morientum testis et index.
Intra non multas, tanquam unctus dropace, totum
sensit Olympiadas se nudo vertice calvum.
Idque inter cyathos subridens prodidit ultro.
Digna haec calvities et dignus candor amari
prae fuco. Cornute, tuo cervice tenus quem
caesaries nimbosa tegit. Sed densius ambit
Theta nigrum, et longus tumulorum insignit elenchus,
te medicante. Pluit larvis, et grandinat albis
ossibus : intrarunt fossam cum moenibus urbes.
Atqui nemo magis sua niceteria jactat.

## SATYRA VII. AURI CONTEMPTU, FAMILIARI AD PAUPERES AEQUE AC DIVITES...

M2_7 v.1 Quid censes Virro ? Laudemne meretur Iollas

Cimber, erysipelas suetus depellere gypso ?
Laudetur potius Centronius Acronianus.
Non crebro, non iste diu, nec avarius aegros
torserat. Auditum mox amandaverat illuc,
quo saturi mittuntur, ubi cava sella Patrocli.
Si juvisset eum sic. Nubibus exoneratis,
censuit indemnem nil porro. Salva fuit res.
Sin minus, excusans, quod nostrum est fecimus ; i nunc
i sane jam nunc. Aliam quercum excute, dixit.
Donandam neque enim glandem fert nostra, nisi unam.
Hic saltem ingenuus ; nec fallere quaerit, ut aera
emungat. Notum est, lento cur Albius aegram
visat ad Hispullam passu, propiorque coacto.
Ut pretium augescat venienti. Linquere servos
uxoremque domi atque incepta negotia, sumptus
reddit majores. Duplicatque salaria longum
in tenebris iter, aut nimio fervore diei ?
En, vix venit ; et auruncum bis terve remulcens
involitante manu, partes detorquet in omnes.
Continuo circum cistas vaga lumina ferre,
clavibus aspectis, lucrique capessere flatum.
Ac nisi flava Tagi stillet praesentis arena,
clepsydra nulla placet : fugientes imputat horas,
consumique mora queritur sibi tempus inane.
Hispulla ! hoc audis, et nondum panditur arca ?
O miseram ! tua, si nescis, carissima pleno
in vidulo est anima et turgentis folle crumenae.
Accipe consilium, atque ipsam te crede Thaliam
Cumanam ex centum portis audire loquentem.
Vel da, vel migra, quoniam lytrum Albius urget,
raraque non visis vendit praesagia nummis.
Unde haec deducat, quaeris ? Babylonia dictat
Uranie. Solet is retrorsum in Fata, diemque
Natalem infantis, stellasque inquirere primas,
quae cinxere caput vix hanc in lucis amicae
usuram ex utero, Junone favente, profusum.
Omnia circumaget rapido tibi sidera motu.
Virgo Diana, Venus meretrix, Gradivus et Arcas,
fur milesque ferunt momenta ; suoque gravare
dicuntur partus aspectu, aut reddere laetos.
Scis jam, quo tendam. Nisi mox ostenderis aurum,
plumbeus invadet faciem color, ictaque leti
frigore pallebis. Lessum ac suprema minatur.
Nam tibi nascenti Saturnus tussiit algens.
Si tamen illustri parasitum lance bearis,
te Jovis ac Phoebi radios, genialiaque astra,
clementemque scias habiturum protinus ortum.
Numne aliter miles, cui sunt venalia vita,
fama, pudor, capulus ; mercedem sanguinis ambit ?
Caelius, aspirat si quando faventior aura,
Ostia delatus ventis ad divitis aegri,
laxat avaritiae plenissima vela per Hermum.
Quos fecit sanos, ita mox deglubit ; ut optent
in veteres morbos, intacta pelle, redire.
Seius ab Hungaricis habitum se mitius inquit
febribus, Hungarico quam captatore. Papaver
et lac in somnum tanti commixta steterunt.
Quod referam, risumne magis mereatur, an iram,

an fletum ? Certe madido res digna cachinno est.
Urinam Trebius gratis non inspicit ullam.
Hinc bonus, inquit, odor lucri quoque provenit. Eis,
Magne nepos renova desuetum Vespasiani
fenus, vesicis sub vectigalia missis.
Hic tamen accedit. Bassum piget ire sub antrum
pauperis, et tuguri congestum stramine tectum,
curreret ad Pario subnixa palatia saxo,
auratasque fores. Cedo, si tenuis tibi res sit,
num venit Archigenes primo clamore vocatus ?
Non tanti ducit pertusam visere laenam,
ni prius ostenso cunctantem munere palpes.
Si non et ceram suffixerit auribus, ut ne
exposcentis opem clamores audiat Iri.
Vitabit casulas humiles limenque salignum,
intra quod residens Mopsus porrigine foetet
porcorum, atque sua. Tamen a putoribus illud
prae thuris lachrima monstrata pecunia purget.
Haec crocus, haec thus est ; haec omnia cinnama vincit.
Nasum habet in loculis : suffitum sentit ab auro.
Cur adeat Proculum ? Proculus pauperrimus ipso
igne caret. Cui lata pedum domus est spatium sex,
nulla ales, nisi verna, sedens in parte camini
ducentis vitium serpente ciconia pasta ;
quae medicum rostro supra crepitante salutet,
venturum ad Graecas, cuculo numerante, Calendas.
Majores sperat cenas ab edentibus aptum,
quam pultes : ubi nigra Ceres et mucida caepis
additur ac vetuli vervecis dimidium crus
ponitur in mensa, cujus pes tertius impar.
Scimus et hoc. Decianus erat macer ac tenuis re
et facie. Haec, veri vix unica syllaba vultus,
res, fortasse duae. Sed cetera civis honestus.
Carpsit eum Capitolinus formidine mortis,
speque fovens vana, magno delusit hiatu.
O pollinctores ! empta est injuria leti
vendita fraus pretio. Quid diceret umbrarum pars
maxima, si ex tumulis ad nos remeare liceret ?
Nil adeo tutum est. Ex facto collige, quidnam
cogitet Euphorbus. Dic, qua ratione Thrasyllum
juverit ; heredum officium qui praecoce luctu
occupat - accipiter moriturum praevenit uncis
unguibus ; et partem sese transcribit in assis.
Cautus, ne pereat merces, pereunte Thrasyllo.
Desperare jubet, qui sic timet ; et convasat,
dum simulat. Fertur fecisse hoc simia Romae,
ante oculos languentis heri. Sed simia ! Romae !
Carior eventu ! Phoebi dignissima gryphi
substitui ! Solo risu sanare perita !
Sit tanti, proceres, rubrum rapuisse galerum.
Ut varia est hominum sollertia ! Tollite mappas,
o pueri, venit Hermogenes, clamabat Aviti
conjux, ex oculis telas auferte nitentes.
Lini raptor adest. Jam gyrat milvius arcum ;
cassellae, ut memorant, non nemo hoc moris habebat.
Febribus inspectis, strophia ac sudaria mundae
sindonis, ut temere jacuere, abscondere sacco,
si furtum servus puer, aut ancilla notasset ;

festive eludens, faustum praesentio, dixit,
omen, et anticipo sostrum. Candentia malles
carbasa, cessuri gratissima pignora morbi,
me permissuro, mutari in funebre velum ?
Quo tua, ni mortem sistam, Thelesina tegatur.
Vivat, et hoc panno redimat venale cadaver.
Dic Styche, dic Syre : quid jam possis hiscere contra ?
Saepe jocus felix pretiosa piacula purgat.
Acribus ingeniis nunquam defit vafer astus.
Dant semper flammas, quales lita sulphure taeda ;
ex silice attrito cum fomes concipit ignem.
In promptu ratio est. Deprensum haerere, vel angi,
turpe foret, nempe in fulva non solus Agylleus
consilium praesens reperit gladiator arena.
Hoc habet et medicus, qualis fuit Heliodorus
ac Novius. Quamquam hic cellas intrare capaces
maluit, et clausi dissolvere vincla Lyaei.
Doliolis nemo purgandis aptior, ac si
tabe laborarent, humana ut corpora ; et astro
desuper in faeces Lunae seu Martis agente,
plena supervacuis relevanda humoribus essent.
Mirum ! quam saepe atque avide, ceu non bene habentis
in trulla dulcem venam tentarit Iacchi.
Sed melius semper medico hoc abeunte valebat.

## SATYRA VIII. ILLUSTRIORUM MEDICORUM CATALOGUS I...

M2_8
Curandum est medicis, ut fama et nomine praestent.
Pondus in his. Utrimque juvat cognoscere, quod sit
judicium vulgi ; quas spes praeceperit aeger.
Hinc pendet quandoque salus. Rem sic cape. Venam
si Picentini contrectat Acilius ; horret
languidior factus, pestemque instare tremiscit ;
tanquam improviso perstrictus ab angue viator,
visat eum, venamque premat Dexippus eamdem ;
continuo melius te credet habere, levatus
in cubitum. Numne ergo manus divina, vigorque
tangenti caelestis inest, ignotaque virtus ?
Nequicquam. Diversa tamen phantasmata menti
inducunt variis affectibus et timor, et spes.
Non etenim quamvis, sed tectam pelle caprina
forte occurrentis palmam tetigisse Luperci,
omen erat faustum Latio praegnantibus olim.
Vis censum ac titulos Arnaldi Villanovani ?
Sane age, et egregia praesta virtute virum te.
Esto prius factis Arnaldus Villanovanus.
Illum Pontifices, illum de cardine rerum
consulti Patres, quos duplex purpura vestit,
nomine Romani commendavere Senatus.
Tybris adhuc hodie, quoties memorabile nomen
influit : exsiliens, glaucoque indutus amictu,
laetitiae testes flavas attollit arenas.
Et Vaticanum montem quae personat Echo,
respondet. Villasque Novas exspectat et ambit.
Jamne vides igitur, quibus ad Capitolia famae
passibus, et culmen summi properetur honoris ?

His ascenderunt Durantes Scacchus, in ipso
nomine divini referens certamina ludi,
his Santorellus, Solenander, Ceckius, Occo,
Mouffetusque sagax et Trincavellius oras
per Venetas celeber, qua tunditur Adria ponti
fluctibus alternis ; et inhorrescentia, phocae,
signiferum Marci metuunt armenta Leonem.
Quid te Vallesi memorem, Prosperque Calane ?
Felix Sacchetus, felix Rotarius, et qui
in diversa licet sparsum contagia vulgi
letiferum virus potuit, Saporta, domare.
An non crescentis truncando germina taxi,
feralem fructum prohibens succedere tectis,
laude genus lauroque suum Laurentius auxit ?
Quis non Butinum, Norescotumque sepultos,
et Pancam genialem, et nil Pollucis egentem
Castora, Mundinumque senem, Mariumque Grapaldum
effodiat, velut Antigonum, nisi Fata repugnent ?
Sed neque Rulandum, neque te, Galeote, medentem
transierim, titulos magni sortite Gradivi.
Vita prius foedus cum nigris sanciet Umbris
quam rapiant nobis oblivia pigra Cratonem,
quamque vetustatis nubes involvat Amatum.
Sennertus tamen in primis, qua Matrona ripas
pulsat, et in praeceps Rhodanus devolvitur amnis ;
ubere Celtarum fax flagrantissima campo
eminet ; ac latam numeroso ex agmine palmam
Hispanusque Gomez fert, Lusiadesque Rosales.
Quo vero eloquio satis Aldrovandus Ulysses
cantandus veniat ? Quem docta Bononia civem
vindicat ; at plures tanto pro pignore certant.
Te terrae, te monstra maris, volucresque sonabunt
armigerae, septemque ferent ad sidera cygni.
Unica sub Massa fuit Augenioque querela,
a vespillonum rabido clamore profecta,
nempe querebantur miseri, sibi funera deesse :
a quibus impositum possent auferre trientem.
Ergo ire in lacrimas, lamentisque astra ferire,
o infesta fames, nulloque labore levanda !
Non quimus luctus alieno pellere luctu :
et quia nemo perit Foresto obstante, perimus.
Dii Jonstone mali, dii te, Pernumia, furvi
abripiant cum Septalio Phlegethonta sub imum.
Nullum Fabricius, nullum Vassaeus humandum
submittunt. Omnes sanat Cornarius aegros.
Ut vestris pedibus tellus subducta dehiscat !
Hi fremitus, sed nemo vetet. Plorare sinamus.
Crudelis pietas, his flecti aut cedere votis.
Nulla triumphalis vox campo, undisque celeusma,
nullus (io) paean hoc sanctior est ululatu.
Vivite carminibus medicorum gloria nostris,
immortale genus, aeternis vivite fastis.
Sub quibus umbrarum lictores semper acerbum
esuriant. Illis immites pergite solis
esse, precor. Gemitus quae callet ducere fictos
praefica, cogatur vero vexata dolore,
arenti vacuos versare in cespite dentes.
Quis referat dignas grates heroibus istis ?

Terrestres dii sunt, tantum non thure colendi.
Nullus honor medicum felicem, artisque peritum,
nulli thesauri dignis splendoribus aequant.
Sunt hodieque viri pollentes rebus et usu
non pauci, quorum producere nomina possem
inclyta ; qui maciem nostram sibi restituerunt ;
coccineam sicco vomuit cum gutture lanam,
et jam deficerent pelves, queis puris aquosi
influeret torrens ; postquam se massa resolvit
sontica, tot menses nimio constricta calore.
Ede, quid a factis istorum et imagine viva
Mamercum duxisse putas : primoribus herbas
vix suxit labris, et vult Mathiolus haberi !
Lentius, o cucumis reptans per tesqua, rogamus,
festinare velis, dum maturaverit aestas.
Est pretium conforme morae. Durabile longo
perficitur spacio. Tu jam Mathiolus haberi ;
huic studio lustrum qui vir insumpseris unum !
Ille senex omnes omnino triverat annos.
Insuda primum ; lunas solesque fatiga.
Carpere vis solidos fructus vix semine jacto.
Semper cum tenera quaedam lanugine crescunt.
At quotus a studiis pallet dulcedine famae
incensus, nomenque petens transmittere in aevum ;
ut dignus veniat signis referentibus ora
sublimis statuae, fusae ex candenti orichalco ;
ut pulchrum digitum mereatur, et audiat : hic est
ille per Europam notus terraque marique
munere Caesarei radians Fernelius auri,
morborum domitor. Similes si mille viros dii
e caelo mittant ; quovis in corpore regni
vicenos magnis imponant urbibus unum !
Porthmea Avernalem, cito deficientibus Umbris,
ad restim redigant, navi contoque relictis
in ripa. Namque unde seni vel nummulus unus,
ut sedeat digna pro majestate deorum
succinctus musco ; nonne haec quoque vestis emenda est,
an gratis aliquod contexit gausape Clotho ?
Sed tu, qui legis haec, felix natura, requiris,
an favor extulerit. Nimirum cura, laborque
summa Quirinalis scandunt fastigia Phoebi,
supra quae emicuit Fernelius : osor inertis
desidiae ac luxus, mediam consumere noctem
excubiis solitus cum Pergameo Phoenice,
ac celso, et doctis vigil impallescere chartis,
ipse quoque ingenio sacras excudere flammas,
exemplo magni Demosthenis, adque lucernam
eniti fetus, unctosque offerre Minervae.
Hinc redolent oleum confecti ad lampada libri.
Mane, salutantum plenos admittere coetus.
Stipatis foribus, velut unda supervenit undam,
atria fervebant, tanquam si principis essent.
Quid refert ? Populi sis voce an sanguine princeps,
comis et indulgens miseris, minimumque superbus,
alloquii facilis ; sic pronus semper adiri,
ut Deus in templo. Formose dives, et ipsas
inter opes contemptor opum, contemptor honorum,
tantus erat curis vacuus solennibus Aulae,

non aspernari carbonem et forcipis usum,
sed nexus elementorum dissolvere flammis,
Naturaeque penum, liquidosque intrare planetas.
Vilior haut ideo. Quin a squalore decorus
neglectuque suiquumque a fornace recessit,
saepe haerebat adhuc mento fuligo camini.

## SATYRA IX. PRUDENTES MEDICOS; SIC OPES ET GENIUM CURARE...

M2_9 Audistis quo Fata modo popularia Dento
et Titus accersant ? Hi tanquam Mercuriali
immensa umbrarum cogunt examina virga,
dum male conditis ventrem siphonibus implent.
Interea virgae huic famosae remque, Laremque
divitiasque, hortosque, excultaque praedia debent.
Quale aliquid, si vera fides, Florentia monstrat,
Fortunatus ubi Pomponius ardua tecti
culmina, marmoreas Autumni fructibus aedes,
(illecebris peponum) se se debere fatetur,
supra vestibulum portae testante tabella.
Dat Galenus opes. Scio, mi Theophraste, proboque.
Nam quae vita hominis non sit redimenda talento !
Idcirco justis opibus quoque gratulor. Atqui
pauper heri Codrus, subito nunc obvius exis
Croesus in occursum. Domus intus tota renidet.
Aureus est abacus, multi crateres aheni,
plurimus in statuis Polycletus, cumque Myrone
Praxiteles, et qui sponsam sibi fecit amator
ex ebore, ut Veneri post tot monumenta furoris.
Taurum et Pasiphaen, Pyrrhaeque animata calore
saxa, nec hoc monstrum deesset ; sine semine proles
incesti manibus conjux fabricata mariti.
In circum redeo ; dicat Cluvienus avaros
infames. Negat Hermogenes. Infamia nulla est,
unde habeas, curare, petat, trahat, ambiat, optet,
qui vult esse aliquis, subselliaque infima plebis
deserere. Hoc agitur, ne faex maneamus opaca.
Deinde ubi noster honos ? Quarta trieteride quantas
fecimus expensas ? Quanto stant nostra labore ?
Quot non Ausoniae donavi tempora Lunae,
clara per Europen lustrans Asiamque Lycaea ?
Dii pretio, sudore, mora sua munera vendunt,
aequum est. Aegroti tantumdem ut pulmo refundat,
et vomat in bulgam, quantum Chaerestratus hausit,
Tusca prius pedibus converrens oppida nudis.
Dives erit, decimum qui sic transegerit annum.
Cum semel expulsa est inamabilis hospes egestas,
intravitque domum Plutus, sententia prima
decretumque ratum totaque immobile vita est ;
nullam porro diem donare vel amplius horam
Hippocrati infelix jacet, aeternumque jacebit
rodendus tineis. Musaeum vise Numici
omnia pulveribus sunt obsita, cumque libellis
exiguis pariter majora volumina sordent,
clausa negant aperiri, et claudi rursus, aperta
per forulos opici saliunt ac scrinia mures.

Intra Nymphaeum si jam placet, aut hypocaustum
laetitiae Bacchoque sacrum, contraria cernes.
Cuncta nitent, ibi dispositum numerare licebit
vasorum omne genus : bascaudas, cymbia, mergos,
ampullas, et quae pretio certantia vincunt
Heliadum fulvas carchesia myrrhea crustas,
qualiaque Adriacis pellucida fingit arenis
tibicen opifex, miris distincta figuris.
Pocula sunt capri, pardus, lyra, vultur et Argo.
Non tot ab humenti dependent phasmata caelo,
cum rarescentes demittunt vellera nubes.
Stant serie pulchra longum referentia versum,
grandia cum parvis angustique altera colli,
ordine quaeque suo, veluti symphonia discors.
Forsitan et Beli patera, et scyphus Herculis adsint.
Res memoranda novis, Bibulo sed consule, fastis,
Frontonis madidi crystallina Bibliotheca.
Omnia respondent, casu, studione vel arte ?
Nam Liber liber est, praeloque expressus uterque :
amborum facundia par, nec gratia dispar.
Ambo fluunt, funduntque ad mustum dulcia verba.
Sedulus auctorum sensa exhaurire profunda,
ingenium exacuet, fiet toto ore disertus,
adque tuum stomachum quidvis, Epicure, loquetur.
Dicat Aristogenes :" Utinam exemplaria prostent".
Prostant ; inque manus sumuntur tanta legentum.
Quanti non fuerant duo Caesaris Anticatones.
Hinc exantlato capita ardent icta labore.
Intolerabilius, quam si vel amystide ducta
octo metretas Avicennae ex fonte bibissent.
Affixi tamen et foliis saliaribus haerent
volvendis, minio pictis ac pumice rasis.
Antiquum studium pellendis utile curis.
Ingenium quo non stimulat violentius ullum.
Nec fortasse tuae chartae, Galene lacessant.
Ridiculae glandes, et corda dolosa Nolaeque
consertae, jactu pugnam miscentur in unam.
Seria res, atque haut paullo majore tumultu
urgetur, quam cum sananda est pauperis Anci
Phyllis, et extremo Fescennia condita pago.
Ut versant oculos ! Ut frontem in nubila ducunt !
Ut crebros inter variant poppysmata nictus !
Dum Regem sibi quisque rapit, gaudere pavores,
et vibrare fluens circum praecordia sanguis.
Jam sperat, jam vota cadunt ; jam jam tenet hircum.
Sed metuendus aper, nunquam tibi praeda futurus
Alcide, cunctos subigit ; spoliisque potitus
fulmineos positam dentes demittit in arcam.
Alea cum praeceps jacitur, Venus improba vincit.
Chartarum lusum potior Dodona coronat.
Felix hoc signum : lucro est et amica luto sus.
Ut merito in laetam veteres optasse ferantur
sortem candiduli divina tomacula porci.
Victor amaracinos quotquot sus invenit aufert ;
semper agunt praedas signati nomine verris.
Qui Siculas egit, Verrini ; quem gravis auctor
perculit Arpinas, non est truculentior isto.
Reginam Cypri frustra implorabis, Adoni.

Prosternit reges etiam ac secat agmina rostro.
Surgite, vicinum torquet catalepsis Iopam ;
Nicomachum arthritis, Diodorum profluvium alvi.
Varronem rabies. Velox epilepticus. Angit
Cinnam hypochondriacum, praesuffocatque vaporum
ex imo turbata palus. Carbunculus urit
Cocceium. Varices tibi sunt, sextile molesti :
asthma tibi, Clemens. Est maeror eroticus Auctum,
fratrem ignota lues. Fessis succurrite rebus
Paeonidae. Jacet ante fores tristissima conjux,
et supplex implorat opem. Testatur amorem
lacrima decurrens, non verius ingemuit, quae
Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit ?
Pyrame, responde, tua te carissima Thisbe
nominat. Exaudi, vultusque attolle jacentes.
Surgite, et ex veris medicamina promite libris.
Factum nempe puta. Dionysia symposiastae
continuant, perguntque ruentem extundere noctem
donec de caelo prospectans Luna, bicornes
infuso tingat radios ac spicula vino.

## SATYRA X. CONTRA AEGROS NON NISI PRETIOSA PHARMACA ADMITTENTES.

M2_10

Dicas : num sapiunt aegri semper ? Minime hercle.
Tongilius vulgi nolebat more perire
ignorabilis, obscurus, sed cum strepitu, cum
lamentis, sicut navem Oeni fluctibus haustam
prosequimur stantes in ponte, vel aggere ripae.
Aut te Londini truncatum Carole, Regem
pars aliqua Anglorum, major pars extera flevit,
Tarquinii veluti succissum falce papaver.
Pro facinus ! Torquata cadunt jam colla securi.
Nam quis contineat suspiria vel lacrimas, quis
tristia non flectat rigidus quoque lumina, quando
de collo vertex, de vertice lapsa corona
spargitur, ac triplici terram diademate pulsans
accusat crudele solum, fatale Stuartis ?
Si ferrum excipias, non inferiore laborat
pompa Tongilius moriens sua funera duci.
Delicias hominis ! Regali occumbere luxu !
Morbo aliquid simile incubuit cervicibus ejus.
Continuo, ne quid tantae decederet umbrae,
concilium cogi medicorum jusserat, ut se
irent adjutum, per sacra Deosque precatus.
Conveniunt Craterus Ruffilli mitis alumnus,
Messallaeque comes Munatius ; alter Iberus,
alter Celta : (quis ignem et aquam sociaverat error ? )
Proximus his Atacinus Aper quem deinde secuti
Stella Mathematicus, Buccoque petitus aruspex.
Tum celeber Capito, junctusque Telesphorus aulo
nec non Protagoras, et aqualiculus Maculoni,
Pentagathusque senex, et Flori clara juventus.
Hos super Helvidius Bari gener, ac socer ipse.
Ultimus accessit librans vestigia passu
Praepinguis Cossus, trabeati abdominis umbo.
Quae non ista phalanx queat expugnare sepulcra,

destruere et cryptas, quos non avertere morbos ?
Hac acie, his animis ac viribus omnia flecti, aut
frangi posse putes adversae spicula mortis
immanem pharetram licet integra silva gravares.
Postquam impleverunt sellas, oculique parumper
subducti, atque aures arrectae, et barba repexa est ;
primaque sederunt inhiantum murmura ; fari
occipit ante alios, et sic Munatius infit.
Harpe Tongilius morboque laborat acuto.
Exundans igitur flavi vesicula fellis
placanda est, intraque suam cohibenda lacunam,
viscera ne fumus candentia rodat amarus.
"Quantum nosse datur, si me non intima fallunt,
post illum Maculonus ait, lapidescere renes
et jecur, ac fundum stomachi reor exitialem
sentinam trahere. Hinc vomitus, fastidia, ructus."
Plura loquebantur plures in verba solutis
ubertim linguis. Utque est tunc pectoris aestus,
et fremor alternis quatientum vocibus aures :
quisque aliquid, mox quisque aliud, sicut genius dat.
Mirandum est unde haec veniant discrimina. Non sic
laeto Democrito fuerat contrarius alter
ceritus, longos in fletus tempora ducens,
humida seu Pleias, seu sidera sicca micarent.
Quamquam utriusque fuit simplex amentia, multis
ignoscenda modis. Nam cui pulmone nocebat
Abderita suo ? Decies commoverit, esto,
ad septem passus quem perdidit Heraclitus
assiduo plorans ? Dulces oculis licet usque
percolaret aquas, fierent dum lacrima salsa.
At medici quando secum pugnantia miscent,
ancipitis vitae momentum, album inter et atrum
vertitur, ad Superos nullo revocabile voto.
Unde abii, redeo. Messalla urgente quadrigam,
tandem huc descensum est : utendum fortibus esse
nil profecturam Botanen cum Chloride tota.
Mitis Galeni studiis tantisper omissis,
rectius interdum temptari et chymica. Longis
ergo septemplex peraratur pagina sulcis.
Ducti sunt apices, quales gallina facit, cum
scalpit humum, et posito clamosius esurit ovo.
Nec mora : literulas graciles nigra filia Cadmi
percurrens aequor, Myropolae tradidit illi,
qui sibi quaerit opes, dum praestat opem ; et recipe inquit
accipiens, carus reparandae caupo salutis ;
verum tanto aliis cauponibus altior extans,
quanto nobilior Lenaeo Phoebus habetur,
Lenaeus Sileno, et Silenus Satyriscis.
Quo tendis Clio ? Tandem vaga respice litus.
Dum fervent operae, dum plurima nulla parantur,
aeger in obscurum subito descendit Olympum.
Juravit conjux, nec erat non digna fide, si
simplicius fieri sanus voluisset atroces
impensas potuisse virum atque evadere mortem.
Ipsa nocet moles. Quanto felicius Ursum
restituit platerus tantum communibus herbis.
Hoc satius, quam tormentis distendere ventrem :
prorsus ut Aeoliam credas stridere procellis,

antiquum et vetus est ; multi occidere medendo
Caesarem. Adoratum populis caput haut decet unus
scilicet oppressor ; circumstat copia lectum
purpureum. Nulli succo nullique metallo
parcitur, ardentes gemmae jugulantur in haustum.
Quales in vino Ptolomaei filia fregit,
impensura proco totum Cleopatra Canopum.
Tam grandes animae vulgaribus haut contentae
tormentis, tristem jactantius ire sub Orcum.
Atque occumbere amant medio in terrore Cometae
utque rogo exsiliit clusus Jovis ales ab alto ;
in campo Martis quoties pyra flammea luxit,
Ossaque magnorum crepuerunt Romulidarum,
cum festo clangore alium mittuntur in Orbem.
Usque adeo vicini etiam sub funeris horam
insanire juvat moribundi relliquias et
faeces stultitiae vix dum exhalamus, in urnam
infertur mimus, dignus majore theatro.
Quid pro splene magis ? Nam rusticus Alphesiboeus
morbum, quo Caesar fuerat tentatus, eundem
evasit, quoniam non multis crediderat se.
Ergo unus Quercetanus suffecerit uni.
Exstingui malis frugaliter ac sine sumptu.
Ringatur, qui vult opulenta morte perire.

## SATYRA XI. MEDICUM, TAMETSI PATRIAE FINES NON EGRESSUM...

M2_11 Ecce meus Theopompus adest. "Ex Alpibus, inquit,
summis advenio, peregrinis redditus oris."
Scimus : jam dudum Germanos hoc cacoethes
obsidet, ut spernant semper sua, semper ament et
sectentur miranda, polo subjecta remoto.
"Italiam ! Italiam !" non unus clamat Achates.
Hic medici fiunt. Operosius ergo trucidat,
qui Paduae caulem linxit, quam posthumus Ulmae
affixus Laribus patriis, ceu spongia petrae.
Quis tamen ire vetat ? Pulchrum est, secernere mores,
Pergameisque Ithacam tectis inferre sagacem,
vade, tuae quando tangunt fastidia glebae ;
vade ad Achaemenios, ad Moesos et Samothracas.
Euphraten Baetinque bibe, et cum Tigride Nilum.
Influat in Rhenum Ganges, voret Oenus Anaurum.
Disce salutares magnis proventibus artes.
Utile praestabis patriae carumque reversus
obsequium : quoties civem servaveris aegrum,
servati capitis quernam meriture coronam,
hoc non fit verbis piger ampullantibus, Ole.
Facta domant mortem. Potior manus ore loquaci.
Alciden medicum posco, qui pondera clavae
verrat in hydropem, sicut convertit in hydram ;
nec cesset, donec siccata inter cute lympha,
detumuit venter, compressaque Lerna malorum est.
Quod potuere aliquis Capivaccius, aut Aquapendens.
Proinde, cave jactes aliquem curare rogatus ;
trans Pyrenaeos et saxa cucurrimus olim
invia, braccatis noti Gallisque comatis ;

Burdegalae exorsum spatiosa Lutetia pavit.
Perlustratus Iber nobis, Hispania tota.
Hispalis allexit, nunc dicta Sivilia quamquam
ante alias urbes dilecta Conimbrica, mater
alma virum Musis operantum. Murcia deinde
Granataeque virens placuit nemus, et generosa
germina Castiliam peragrantes multa quidem, sed
nil mirabilius suspeximus Escuriali.
Inde datis pelago velis usque ad Baleares ;
denique nigrantes Indos lenis abstulit aura.
Plurima detinuere notari digna. Volare
et pisces possunt. Arbor facit unica silvam.
Unius in ramis ibi centum cercopithecos
et corvos albos vidi. Cessa, improbe, cessa
clamator. Jam diffindunt praeconia muros.
Jamque aegri lectica crepat. Jam rupta matella est.
Interea morbus sumpsit manifesta gradatim
incrementa, tuos dum narras histrio cursus,
et corvos albos, et centum Cercopithecos.
Plena oculi jam morte natant. Decessit, et alget.
Non hoc credideram, dicis post Fata, futurum.
O sapiens, sapiens Septeno, nobilis Ole,
posterior, nonoque prior ? Non ergo putabam.
Objectas ? Nescis. Quorum haec sint tessera verba ?
Ex hoc te fatuis potes annumerare mariscis,
accepta qui clade solent post vulnera flere.
Non ventura notas ? Tunc primum scilicet actum est
tunc fatale times, oculos cum nubila velant ;
et moritura manus culices venatur inanes,
Lethaeique vadi strepitus circumsonat aures.
Pisones, propere hunc medicum fugiamus, amici.
Nil libeat duro naulum numerare Charonti
ante diem furor est, talem conducere cymbam.
Non igitur satis est, si quem vel Gallica vexit
mula, vel Astur equus, vel Veronensis asellus.
Nil unquam audisti sparsum rumore secundo
de Moscho Nigro ? Quod erat ferrugine pictus,
et multum vituli caput exsultantis haberet ;
accepit vulgo mansurum in secula nomen.
Natus in Hercyniae media caligine silvae,
montanas inter pecudes, praeruptaque saxa ;
ex pago, vilique casa, tenuique bubulci
emergens victu, summos invasit honores.
Hic Alemannorum saltus et confraga nunquam
deseruit ; nunquam est Gades ingressus, ut axem
occidui rapidum Solis, propiusque sub imum
aequor anhelantum lapsus spectaret equorum,
non fuit Oxonii ; non gramina Tusca momordit ;
non bibit Eridanum, vel odori flumen Orontis.
Vix e Danubii ripa pervenit ad Albim,
et tamen ex merito jam tunc medicantis habebat
praecipuam laudem ; dignos et imagine vultus
juxta Galenum ponenda in fornice templi.
Quid Theopompus ad haec pertaesus Teutidos orae ?
Euri qui Zephyrique domos peragravit, et Austri
ac Boreae fines ; et duxit in aequore remos,
in quod ceratis cecidit miser Icarus alis.
Nempe suos repetens errores augur Ulysses.

Cymbala mota sonant. Aes audio Dodonaeum.
Et salebras video vastique pericula ponti.
Quaeso te, peregrine : "Loqui tua gaudia cere,
innantesque fretis lorica duplice cancros
differ ; et Herculeas toties itetare columnas.
En : morbo Herculeo Cajus torquetur, et uxor
Caia gravis morsu gangraenae. Pelle dolorem,
siste malum. Tua post ad monstra redire licebit.
Sana, non narra, quae videris. Haec mea summa est.
Festino ad Nattam, quo non verbosior alter.
Postibus a patriis lustrum forte abfuit unum ;
elapsoque redux, vix se, vix limen avitum
noverat, ac socios attritos compare lusu,
quo pueri pedites frenabant saepe bacillos
per vicum ; aut nucibus jactis fregere fenestras.
Is medicamentum vel de ceromate Buthi
confectum promens, etiam quod vilius alga est,
nomine secreti pretioque augere solebat ;
ceu foret Armenii pastoris monte refossum,
aut ab Idumaeo, Saracenove Damasci,
seu verpo Samuele datum. Mendacia sumptu
immenso constant. Lapis hic de Perside capra,
si verum excutias, lacte est concretus asellae.
Cornua plus cervi, plus praestent cornua vaccae.
Accipe et hos, magni Saxo quos aestimat Ufens,
carbones, Lipara allatos, et fulmen olentes,
quale Jovi nuper Steropes procudere jussus.
Miscuit arcanas vires : unde atra favilla
non parce bibit, et succo est imbuta salubri.
Illam Ufens adhibet cinefactam, et jactat ubique
nil aliud novit, quod aceto diluat. Hoc est,
propter quod Siculum delatus ad usque Pelorum,
et praetervectus Scyllam, infamemque Charybdin,
inguina caeruleis amens succincta molossis
horruit ; et curvis Volcanum vidit in antris ?
Si jecur incensum torrebat tanta cupido
ultima telluris penetrandi claustra triquetrae ;
cur non sulphureae saxis ardentibus Aetnae
incidit ? Empedocles alter post nobile bustum.
Certe non, damno multorum, homicida futurus.

## SATYRA XII. VESALII ANATOMICI PRAESTANTISSIMI LAUS. CONTRA ATHEOS.

M2_12

Sit Fabius faba ventosa, et caput artis inane.
Plena tamen bulga est, et avito turgidula asse.
Ampla domus, multi tituli Salamantica parvum
nutriit. Ulterius raptum per castra, per urbes,
Compostellanis trivit Callaecia clivis.
Hinc trahit ingenii famam. Vix credere possis,
ornatis quantas promittat porticibus spes.
Tecta subi, et prope barbaricum mirabere luxum.
Ante fores ludit Siren ; et limine in ipso
dispositi occurrunt Centauri ; aliaeque Chimaerae
mille locis pendent, medioque umbone locantur.
Quacumque aspicias, et Mira et Bella videbis.
Hinc stat rhinoceros, vel cornu rhinocerotis ;

inde colorati squamato ventre dracones.
Unus ei similis, quem pubes Dardana quondam
Tibridis excelsas Epidauro traxit in arces.
Quid memorem conchas Tyrrheno ex aequore lectas,
lucentes vario picturatoque recessu ?
Vipera viva natat vitreo conclusa culullo,
et potum illaeso despumat gurgulioni.
Ales Mygdonius vituli pede continet ovum,
aut soleam ferri ; sonipes quam Martis in Haemo
perdidit, excussam rapido per inhospita cursu.
Haut indigna quidem visu. Sed si nihil ultra est,
perdidimus tempus. Fernelius interea me
Vesaliusque aliquis privam duxisset in aulam,
in qua spectandum per singula membra cadaver
distinctosque tomos, avolsa carne, dedisset :
ut caput et collum, costaeque et venter, et ossa,
articulique pedum, et varia internodia crurum
nexibus inter se miris aptata cohaerent.
Emicat in parvo divina potentia mundo.
Ardua cernenti metricus miracula truncus
exhibet, et summi Figuli commendat honorem
relligione tremo : sacer horror concutit artus.
Formidata eadem placet irritatque voluptas.
Quid mihi circensem jactas Romana libido ?
Curve cruentandas populi crudelis arenas ?
Stent licet Augusti Trajanorumque columnae,
et Sixti medias obeliscus dividat auras :
omnia Vesalii statuae spectacula vincunt.
In quibus utilitas an delectatio major ?
Hic contemplari generis primordia nostri
ac finem liceat. Quod eris, quod es, atque fuisti,
hinc discas. Nam non homo monstrat, homuncio quid sit
istae sunt latebrae, quas spes, dolor, ira, timores,
et cum tristitiis habitarunt gaudia. Vultus
hic potuit lenae placuisse. Foramina bini
sunt oculi ; per quae, nondum nudata, Cupido
intendens arcus, plumbum trajecit et aurum.
Haec fodit stimulis, haec vertebra torsit amantes ;
quis credat veteri, subducta pelle, decori ?
Heu ! breve ver, longaeque hiemes ! Mutatio quanta ?
Quae nunc forma viri ? Speculo juveniliter usus
nunc ipse est speculum, speciemque ostendit inanem
nimirum domus est animae pulcherrima, corpus.
Donec eam spirans impleverit incola vita ;
fabra manet, laetumque nitens et commoda sedes.
Post mortem, simul emigrat dulcissimus hospes,
mandra fit, egelidis umbrarum pervia flabris.
Procidui remanent muri, pictura recessit :
qualia Vandalicis a flammis rudera restant.
His ego quem moneo ? Tecum est mihi sermo, Cipere,
saepe audite Deum, Manesque negate profundos,
ac Superos, quasi cuncta vagis erroribus orta
pervadant temere, collisaque casibus, Orbem.
Non dubitas quin sit mens parva in corpore parvo ;
et dubitas an sit mens magna in corpore magno ;
Naturae cui tota patent sacraria, nescis
Naturae auctorem, miro glaucomate captus ?
Astra vides oculis ; illum, qui condidit astra,

mente videre nequis ? Certis, en, legibus aether
vertitur, et credis nullo rectore moveri ?
Teque, tuasque manus, atque ipsos consule sensus :
omnia testantur Numen justumque piumque.
Aedificatus homo est. Aedilem habuisse negabis ?
Ergo opifex operis nullus fuit hujus. Epeus
Trojani tamen auctor equi memoratur. Homone
solus fortuito compagem crevit in unam
affluxu, vitale Chaos ? Sed gratia formae,
porrectae sed frontis honor, sed candida cervix,
cunctaque concentum formantia membra reclamant.
Corporibus nudis et inermes nascimur, inquis.
Quid tum ? Rostra, ungues, squamae, juba, cornua, dentes,
quae diversa feris, homini manus unica praestat.
An vero infantem telis onerare decebat ?
Et rupta armatum vitulis concurrere fronte ?
Tota mole premit terram, qui maximus inter
quadrupedes elephas et prudentissimus audit.
Parte solum nostri minima contingimus ; et cum
aurea suspenso metimur sidera vultu ;
per tenues rimas mox scintillantia blandis
connivent oculis atque invitare videntur.
Quanta seges rerum ? Totam tamen unica messem
tot spectabilium collectam pupula claudit.
Janitor auditus quoties modulamina pulsant.
Dulces aure sonos portis admittit apertis.
Sed nihil ac mens est aeque mirabile, Vestae
detrectat soror haec aut Terrae filia dici.
Ex summo regale genus deducit Olympo,
portio caelestis, divinae particula aurae.
Immensi sine fine capax, impervia Leto.
Languida membra jacent stratis ; tamen illa vagatur.
In somnis, montes, saltus, mare, flumina, silvas,
lustra petit, tortaque volat pernicius hasta.
Dumque volat, venti et caeli secura quiescit.
Totum agitat corpus, tota est in corpore toto
atque suos instar Citharoedi temperat artus.
Hos immota movet. Praesentem agnoveris esse
quomodo sit, nescis. Cupies numerare, sed una est.
Observas unam ? Triplici se munere prodit.
Unde autem hoc monstrum, quaerit doctissimus Afer.
Imperat, et nutum sequitur manus, accelerat pes ;
vix ut ab imperio facti properatio distet.
Ipsa sibi mandat, sua nec mandata capessit.
Unde istud monstrum, et sceptri vis grata rebellis ?
Scilicet exsilium causa est certaminis hujus.
Dum petit exsolvi, patriosque inquirit in axes ;
luctantis retinent captivam vincula Carnis.
Hinc consanguineus dolor, et pudor, iraque. Miles
sola facit geminas acies sibi, sola minatur
exceptura minas, suaque est Pharsalia Caesar
Pompeiusque suus. Contorquet pila retorquens,
hostis amica simul. Dubitando vulnere victrix
vincitur ; et secum pugnat, secumque triumphat.
Spiritus est, in quem nil horrida juris habet mors ;
materiae crassa quia non educitur alvo,
perpetuis vicibus putres variante figuras :
corrumpi, vertique nequit virtute Dei stans.

Utque olim rupta Gedeonis flamma lagena
clarius elucens Madianica castra fugavit,
sic animus, fracto mortali carcere, purus
emicat, et supra nubes ac sidera fertur,
more globi, ridetque suae ludibria testae.
Ut posita larva, se, siparioque remoto,
comicus ostendit ludis popularibus Actor.
Et tu semifero Chironi aequande Cipere,
talis Paeonia tantusque magister in arte,
esse animam credis tantummodo sanguine mistam
temperiem humorum, ventorum more meantem
in venis, fato solvendam rursus in auras
communes : unde et ventis sua constet origo ?
Haec illum, qui consilio non futilis auctor
omnibus ambitur votis ? Qui cernit acutum
in morbis, quantum non lynx, praepesque Tonantis
lictor, anhelantem cervum speculatus ab aethra
Tiresias idem caecus, sed dispare forma,
Numinis ad radios et clarum noctua Solem.
Huic mediam clava sit fas pertundere venam.
Indignum certe vitaque animaque stolonem,
claudite Orestea vesanum compede cives.
Nam quae alia est, si non haec est manifesta phrenesis ?
Hoc etiam vere demens, quod amabilis error
nutriat, et sese dementem nesciat esse.
Quae nota stultorum propria est, ex traduce ducta
regis, apud montem Tmolum, quo judice Lydus
accepit merito longas, licet inscius, aures.

## SATYRA XIII. AEGRO MORTUO, INDAGATA MORTIS UTCUNQUE CAUSA, FATIS ACQUIESCENDUM EST.

M2_13 v.1 Occubuit non perspecto Lavinia morbo.
Sed quibus emplastris letalis plaga tegetur ?
Dic aliquem saltem dictu, Cardane, colorem
subtilis, nisi cum serosum Elpenora mulces.
Nulla fere causa est non propugnarier apta ?
Dic igitur. Paulli conjux praecepta Mathonis
neglexit temere. Quid enim Matho noster omisit
clinicus excellens, multoque empiricus usu.
Trade palimpsestum. Videam commissa fideli
membranae, sontem pulsura piacula morbum.
Angelicus pulvis cum pulvere praecipitato
sumatur. Misce guttas ardentis aquae sex.
Addatur lento stillans calchantus ab igne ;
camphora ad haec, morusque rubens, et aquatica lotos.
Seminaque urticae, et malvis colophonia mista,
agnus item castus, vinoque Chamoedrios albo
incoctum germen ; tum mala Cydonia tincta,
pulmonesque levans tabescentes tamariscus.
Inice nitrati globulos salis adice mentham,
et cum mandragora siliquastrum, paeoniaeque
radicem, ac nymghaea marina, opiumque soporans,
hyssopumque, aloeque, et coniferam terebinthum,
laetitiaeque crocum per mollia fila fluentis.
Cumque ebuli baccis colocasia, cumque caprina
barba tres Veneris dilutos rore capillos.

Sic me Phoebus amet. Lecta amplectorque proboque,
lecta probas, Cardane ? Et ego disjuncta, sed unum
digesta in fascem collectaque sumere nolim.
Praeterea non morbus erat, quem tollere possent,
an vero quivis a quavis pellitur herba ?
Quod tentasse tuum popularem publica fama est.
Aegris e sacco schedulas sortemque notatam,
pharmacaque Andabatae manibus promiscua dantem.
O ludum ! quid enim Fortunae mobilis urnam
damnamus : caecis si Manibus ac Libitinae
est eadem, tantoque magis damnosa potestas ?
Ergo salus, medici caligis inclusa ? Putassem
ingenio potius Galeni scita recondi.
Refert : quis, quoties, quando, quibus. Abrotonum aegro
non audet nisi qui didicit, dare, Horatius olim
sancta mente monet. Si nil prudentius ultra
exigis, infamas causae momenta tuae ; nec
absolvis patrone reum. Sed cedere, turpe est,
desperare nefas. Matho, da centum, meliorque
Quintilianus ero. Didici, quod noxa docere est.
Quid dices ? Metuis ? Facunde plurima. Vera ?
Non ea tu poscas, speciem sed habentia veri.
Qualia causidici Spirae, Ligurinus et Alcon.
Incipe, cenavit Lavinia largius aequo.
Inde nociva lues, ac vis oppressa caloris.
Comperta est mulier vasta et plethorica, crudis
fructibus, ac nimiae stomachum laxasse saginae.
Atque hoc damnatis et solstitialibus horis,
cum se vexarent contraria moribus astra.
Cum furaretur Marti Cyllenius ensem,
Marsque Dionaeos aversaretur amores.
Perge : disertus homo es. Patulis ac faucibus unctis
nullus obex. Tumidi spirant oracula folles.
A secta vena corpus projecit obesum
in latus, et stupidi corrupit frigore somni.
Vicisti Matho : victoremque extendere palmas
Ausonii videre ; tua est Lavinia conjux.
Tam tibi debetur, quam Dardanio Aeneae.
Adde : quod et subiti manifesto turbine venti
janua contremuit quassi patefacta cubilis,
pervasitque toto recubantem noxius aer.
Credis et hoc ? Afflavit anus suspecta, nigraeque
felis ab intuitu conterrita fertur in altum
erexisse pilos ; quo tempore noctis Orion
militat arma tenens, et acutos surgit in ignes.
Quin etiam bubo supremi culmine tecti
sedit, et in tractum feralem carmina ducens
accinuit sollemne suum morientibus omen.
Ipse nihil possit contra tot signa Machaon.
Quis Rhadamanthus erit tam ferreus, ut defensum
ex hoc aspiciat torve damnetque Mathonem ?

## SATYRA XIV. DE AEGRO MASSILIANO, ET MEDICO GORGONIO, SUEVIS.

M2_14
Naufragium passus, si quando evaserit aequor,
submersis opibus, non mendicare vetatur.

Frigidus atque lacer templi sedet ante fores ; et
in signum, pictae monstrat fragmenta carinae.
Cur non Massilianus idem, patrimonia cujus
febris, et hac pejor medicus Gorgonius hausit,
Jus habeat ? Poteratne profundius igne perire
caelesti, vel aqua ? Pellat, me auctore, pudorem,
et regionatim misera de fraude queratur ;
atque inclamet opem quo sit testatior orbi
Causa rogatoris ; tabula vel in aere patentem
Gorgoni effigiem, ceu sectam Gorgona Pallas,
praeferat ingeminans : nummum date Massiliano,
hic evertit opes, hic me spoliavit inermis.
Forsitan armato potuissem opponere peltam.
Nil feci, nisi quod fuerim violentius aeger.

## SATYRA XV. ADVERSUS IDIOTAS, ET IUDAEOS IMPOSTORES. VENENA MISCENTES.

M2_15 Si recte memini, dixisti, pessime vates,
clementer te velle loqui, nec stringere iambos.
Cur ergo Alsaticas inflat Bellona Camoenas ?
Unde furor plus quam Galli Corybantis ad ictus
aeraque Curetum, et Phrygiae cava tympana matris ?
Ut Cyllenea posita fide, pectinis usum
invertat siccis aliquis vix ossibus haerens !
Et resupinati motam Juvenalis ad urnam
torqueat horrisonos, ceu rauca tonitrua, versus.
Da veniam, qui me culpas. Non omnia possum
quae poterat Veiento pati, laudare Syriscus.
Vis compendia ? Sic. Non possum ferre Sabinum
et comitem Scorpum. Nam Saturnalibus ipsis,
praescribunt squillas, pernam ad jejunia verna.
Absque ullo titulo petulans incuria sacros
cur violat ritus ? Non possum ferre Marillum,
nasutum juvenem mentisque errore superbum,
qui nihil a Phoebo deducens praeter inane
nomen, et intonsi pondus florale capilli,
imberbesque genas, jam se majoribus aequat.
Qui crases tamen atque crises ignorat, et idem
uberis ac fluvii Cancrum distinguere nescit.
Nescit ab angina quanto mala limite distent
Argentanginae. Quoties maculas elephantis
audit pellendas, de barro cogitat Indo.
Cardiacum morbum residere in poplite credit.
Praeterea tumidum non possum ferre Glyconem,
unguibus an, scissisque comis, ac forfice summas
promotum ad caedes. Medicis nunc aequiparat se
tonsor heri aut digito confundens unguen aliptes.
Non possum flavos, non possum ferre colentes
Sabbata Judaeos : homines, queis septima quaeque
lux perit ignavis et inertibus ; ut neque spirent
respirentque satis. Vix os aperire laborent
hausturi latices ac pigrae pabula vitae.
Sex reliqui scelus omne dies, et fenus avarum,
quanquam Zacutum dat Portugallia magni
nominis Hebraeum : nuptae ne fidite verpis.
Gens inimica Deo Cyprium pernavigat aequor,

et bene connexos piratica vastat amores.
Non aconita tibi vel apertos porriget angues ;
sed liba, aut dulci miscebit sesama melle
ac Laestrigonio parvam in cratere rubetam ;
mox ea sumpta nocent. Lectorum fulcra dehiscunt.
Exturbatur amor venis, ut ventribus infans.
Tu ne deesse putes tam dira exempla secutos :
sarcophagum Balbinus olens ob praemia peccat.
Sunt qui conducti pretio conubia solvunt.
Hoc medici ? Vanis utinam rumoribus atqui
Mamercus solvit ; conclamat Corbulo feci.
Defendunt etiam. Quid morte optatius, aiunt,
perpetuum exosos thalami dirimente bimembres ?
Rumpere Lentinus nuptarum jurgia novit.
Alterutram litis partem, seu femina, seu vir
poscat, tollendo. Scis hoc Lentine, nec horres ?
Aude aliquid dignum Themisonibus, aut Alabandis
hac nece famosis, et vespillone Diaulo.
Sic vacuos a morte toros ars Thessala reddit,
sic taedae, vultusque novi, nova serta parantur.
Sic pro Fabulla viduo introducitur Umbro
Aelia : Laevinamque impellit Ogulnia pellex.
Quae tot abortivos pepulit jam corpore foetus,
membrorum vinclis animas quot Tucca resolvit.
Tucca capillatus pulchre, sed crinibus emptis,
labra tumens, oculos paetus, vestigia valgus.
Utque cavere queas, materna ab origine Cimber.
Septem verrucae frontis confinia signant,
et nunc Westphalica pernas praescindit in urbe.
Tales ad Cafros quid ni mittantur et Afros.
longus ubi reliquas coluber fugat ore cerastas,
cum nola cristati capitis dedit horrida signum.
Quamvis devoveas ; tamen horum ope Gargilianus
evasisse suam Xanthippen dicitur Ulmae,
Cannius Hamburgi, Dantisci Mattus. Hic octo
uxores tulerat. Nonam quum ferre nequiret.
Extulit. Et satur est, sed non et Naevius. O me
felicem in paucis ! Cur ? Obsecro. Mortua conjux,
qua fuit in terris non bellua tetrior ulla.
Gustavit glaciem piperatam, quam dedit Acron
Hibernus, patinam mirus condire magister.
Necte rosas Naevi, circumda tempora myrto.
Laurigeros postes hederarum cinge corymbis.
Dispergatque nuces, et picta Thalassius ova.
Nunc iterum libare potes mustacea. Sed quid
sarmenti gratus dabis obsequio paranymphi ?
Ille tibi hos ludos venalis et otia fecit.
Ducitur in choreas expungens nupta priorem.
Forsitan et vindex sublatae nupta prioris,
nulla Clytaemnestrae superest ex semine proles.
Aegisthive nepos ? Qui vique doloque necare
Trojano e bello redeuntem Agamemnona tentent.
Sexus hic iratus non tantum philtra parare
novit, et hippomanes miti confundere succo.
Belides et Colchis ferro grassantur et igni.
Verum quidquid agant laniantes Penthea Bacchae ;
est tolerabilius, quam si, qui reddere vitam
debuerat medicus, tincto medicamine tollat.

Hoc nullo scelus imbre satis nitrove piatur.
Sit deformis anus, sterilis perarataque rugis.
Jocastae, dotata tamen : quam Cotilus optet
exemptam humanis rebus, placideque sitam ; quo
possit ab exequiis sestertia ducere centum.
Is tibi conducto tectum praebere venenum
etsi quadringenta daret ; proponeret arcas,
inclusumque Midam, totoque immergeret Hermo ;
summum crede nefas, animum postponere lucro,
et propter nummos nummatam inferre sepulcro

## SATYRA XVI. SCIENTIAM IN MEDICO SPECTARI, NON VESTIUM NITOREM AUT INSIGNEM FORMAM...

M2_16

Aurea majestas, an ferrea, divitiarum
omnia vincit enim ; ferroque nocentior omni
dirus Amor lascivit opum. Propiorque videtur
Hippocrati, tortum digitis qui ventilat aurum.
Artem si spectes, et ab hac pendentia signa
Fortunae, ac dextri Jovis, eventusque secundos :
viderunt aegri nihil infelicius aulo,
nulla dote valet. Sed gemmam ostentat in ungue.
Haec facit, ut placeat ; summasque vocetur in arces,
ad morbos Tyriae fulgentes murice lanae.
Sardonychata manus famam, nomenque fidemque
conciliat, quamvis nec beta nec alpha scienti
credis eum frustra, populo spectante, plateas
pulvereis sulcare rotis, ac picta curulis
pandere lecticae lato specularia vitro
esse aliquo cupit in numero, dicique Machaon,
cum praeter fungum Sarrana aulaea ferentem
nil ea rheda vehat. Pro quantum balsama foetent ?
Oblitus est nimbis fragrantibus, et Nabathaea
tempestate madet totus. Non spirat inunctum
Assyrii regis majora omenta cadaver.
Vivite contenti mediocribus. Undique fulgens
vestis, vestiti modus ac nota, ut alitis ala est,
non docti, aut magnas spes promittentis in ostro,
clamat Aristoteles veteri male tectus abolla.
Ceu Junonis avis se demirans, scutulatam
Calliodorus habet tunicam. Sed praeterea quid
Calliodorus habet diversum ab olentibus angues,
ut titulo laticlavi subsellia mutet ?
An xerampelinam chlamydem mirabor in urso ?
Indutus viridem graditur per compita telam.
Quam sibi surreptam Nisaeo e palmite juret
Euhius. Hinc famam et populi mercatur amorem.
Mollibus ut tutulis et plus quam simplice gaudet
munditie ! Totos consumit homuncio Seres
unicus, ingentem distendit fascia librum,
inque rosam duplicat. Texti singultibus auri
indumenta crepant, et subere calceus alto
hinnit, ut a passu modulato terra resultet.
Ultra Taprobanam fugere hinc libet. O bone Pastor
Admeti, tibi si cara est Amphrysia vates,
sique Amphrysus oves fecundo gramine pavit,
da pater Arcitenens aliquem de plebe petitum ;

qui tua non vano recolens oracula sensu
calleat, in laceris centonibus, ac maculosa
lodice et juncis solitus fenoque cubare.
Nam quid Chrysogonis me credam mollibus, aut te
Baetice. Nil pulchrum et vacuum prodest alabastrum.
Unzer egens potior ; quia strenuus atque fidelis.
Ingenium cujus cote exploravit acuta
paupertas, gladiique instar splendescere fecit.
Tutius huic corpus commiseris. Ille replebit
rursus vitali putrefactos aere folles ;
viscera, saxosumque emolliet arte lienem.
Ne spernas, si frons minima et contractior aequo est :
sinciput in conum gracilescit, pyramidemque
assimulat ; lato vel contra vertice sensim
extenuat spacium, fit formaque sessilis obbae.
Sive notes, lippis oculis vix posse propinqua
tangere, vel madida rubrica imitantibus Irin.
Isti nempe vident. Majore Rabirius emit
sumptu defectos membris, vel nare repandos,
non quosvis medicos, sed solum admiserat ortum
e Lipara Varum : quod erat pes curtior alter
crinis rarescens ac discolor, utque legumen,
flaccidus ; et rauco dependens gutture struma,
observata fides rerum, nec opinio vana est.
Plerumque Aesopos, obscuraque corpora dotes
illustrant animi. Defectum provida formae
Socraticis Natura bonis in Socrate supplet.
Non ciliorum arcum, non planae lumina frontis,
sed cerebrum mentemque admirabantur Athenae.
Bellulus ac nitidus raro ingeniosus habetur.
Malo, tibi gibbo curvari duplice tergum.
Dummodo non animus vitiorum pondere pressus
pendeat ; et prono sit mens in corpore recta.
Inventum talem nunquam scitaberis : unde ?
Quod natale solum ? Quo caelo effusus in auras ?
Italus an Garamas ? Te Sequana lavit an Ister ?
Sed recta tecum duc in cenacula, tanquam
Hippocratem vili sub schemate Pythagoreum.
Cujus judicio saepe est divinior ille.
Qui pultes et olus, cepasque fabasque ligurit,
quam satur et crassus pavonis Apicius uncti.
At neque Mecenas optaverat aeger ephebos
crinibus inflexis comptos, facieque venusta,
laevibus et malis ac blando lumine molles.
Est, ubi deformat nitidae clementia formae.
Mascula frons, ac laeta parum, casteque severa,
hirsutaeque genae, rugaeque, et barba palustris,
castra decent contra diram bellantia Mortem.
Ut, si herbis diri genus intractabile morbi
cedere detrectet, justo terrore fugetur.
Non amo Cyclopem medicum, sed nec Ganymedem.
Non Gnidius Gyges, non caerulus Acis amator
emineat vultu ; sed sit Polyphemus in ore,
quem visum fugiat trepido pede pallida febris ;
hirsutum velut uda procum Galatea refugit.
Audio, quid monear. Medicorum numen amoenum est,
formosoque micat Thymbraeus lumine Phoebus.
Distortos minus ille fovet, scabrique clientis

et male tornati merito pudet esse patronum.
Audi, quid moneam, bone Fidentine, vicissim.
Non est una Deo facies. Ridente serenat
aethera, discussa nebularum mole, canitque
inter Pegasides, cantuque inspirat amorem.
Ast ubi Terrigenum cognatos prodit in hostes
imploratus opem, Mortisque licentia cogit :
torvus et indignans ad sibila serpere pestem,
abjecta cithara, radiis a fronte retusis,
in Letum ac Lachesin justo movet arma lacerto,
terrificus ; qualisque polos eclipticus urget
mutatis atratus equis coma lurida, discus
lucis hebes, rubris vertex hastilibus hirtus.
Stat soror, et larvam fratris pavet acta retrorsum.
Talis in obstantes morbos invadit Apollo.
Utque olim Remuli victorem affatus Iulum
antiquum in Buten vertit juvenilia membra ;
omnia longaevo similis, vocemque coloremque,
et crines albos et saeva sonoribus arma ;
sic dilecta suum non raro incognitus ora
intrat alumnorum. Fit Fracastorius arcu
deposito. Fit Montanus, Paracelsus, Erastus,
Duncanusque Vales Carmonaque, Curtilioque,
et quondam Bavara celeber Mermannus in aula,
alter Praxagoras, felix Erasistratus alter.
Te quoque Minderiden, quem fama Lycatibus arvis
reddidit insignem propterque absinthia notum ;
te Langi, et gemina subnixum laude, Philippe
Menzeli, vinctum lauro simulaverat olim.
Vertitur in Rasi transformatumque Peredam.
Mentitur vulpes adeo, atque attemperat astus,
os humerosque tibi similis, clarissime Fuchsi.
Mentitur taurum servantem cornua Rheni.
Quem puer observans, memini, venerabar ut Apim
omnibus absumptis, restat. Dicebat, Achilles
ultimus, impletus Pactolide guttulus unda.
Auri flos liquidi pectus penetrabit, et ictis
restituet placidum venis, membrisque vigorem.
Certior allata est nunquam sententia Delphis.
Scilicet, exterior quales signabat imago,
esse putabantur ; sed personatus in illis
Phoebus erat. Phoebus vires suggessit et herbas.
Quid ? Quod in informes Deus hic transiverit artus,
Lullius, ac nullo inferior Fallopius, ambo
famosi fuerant Thersites, ambo Strabones.
Iidem laudati prae pulchris atque politis
Mauro dente cutem, Veneto quoque smegmate lotis.
Verus amor, summis caros reddebat et imis ;
dignus honor summos, magnumque in nomen euntes
publica vox patriae patres audita vocavit :
Regibus, ut populo gratos quibus haesit uterque
dulcis amicitiae vinclo propiore ligatus,
quid moror ista ? Jovis fuit unus nomine dignus :
Jupiter Antigono vox nata Menecratis illa est,
spernentis tumidum generosa mente tyrannum ;
Juppiter Antigono, scribebat epistola docti
pauperis, et sceptro se praeponentis eburno.
O igitur quisquis medicorum admissus in album,

Hippocratem de fonte bibis : laetare, rotundos
si tibi cincinnos Nisi, Paridisque decorem,
et lenes oculos sapiens Natura negarit.
Tanto major eris, quanto deformior ore.
Chironis famam factis propioribus aequas.
Thessaliae Centaurus erat. Trux, semifer, ingens,
silvestri vultu, qualem Pindum inter et Othryn
lucus habet mento muscus pro crine pependit.
Quaque viro commissus equus sub pube biformi,
a valido cornu sonuit via quadrupedantis.
Hic tamen Aeaciden herbarum instruxerat usu.
Audis ? Aeaciden ! Hic nomine Centaurea
dicta suo reperit. Solertem adverte magistrum !
Qualiacumque forent curandis apta, prius quam
admosset plagis, radicibus eruta vivis
e terra, cauda purgare solebat equina ;
nempe sua. Satis est. Risum teneatis amici.

## SATYRA XVII. CONTRA MULIERCULAS, VIRORUM GLORIAM AC MEDICAE LAUDIS SOCIETATEM...

M2_17

Femineas cathedras, praeceptoresque stolatos
mirentur laudentque alii. Sed non ego. Plena
invidiae atque odii res est Cornelia, magnum
doctae nomen habens, et honorem nominis hujus,
quam sanctum, cura servans majore, pudorem.
Laudo tuam Isotam celebris Verona, tuamque
laudo Veronam cantata Genebria. Sed cur
committit medicos Proculeia, et disputat ? Atque hunc
cum fastu absolvit, cum rhoncho corripit illum !
Galla quidem gravior : miranda hypnotica semper
nescio quae, et madido narcotica versat in ore.
Quin melle imbutam claudentia vitra salivam,
et ceromaticas gaudet depromere thecas ;
Psilothrumque suum facit ac sua magmata tanti ;
quanti non merces Arabum Indorumque Tinellus
aestimat, et quidquid rex composuit Mithridates.
Quin et rancidulum obloquitur, nec nulla videri
Graecula vult. Aliquot culices occidit Achivos
quorum aspersa cruore potest lallare, quod Hellas.
Idque etiam stricta facie, et praesente marito.
Hinc lites, thalamique minor reverentia pacti.
Nam quae docta velit mulier submittere fasces ?
Si quando ipsa minus belle valet atque recumbit ;
non communis eam vexat sed Ionica tussis.
Sic tremulo supplantat Ionica verba palato.
Haec dialectus enim placet, et non Attica. Nunquam
vulgari, aut raro, contenta est femina more.
Quanquam Sulpiciam tulerim minus, ista superbit ;
ista Dioscoridem, jurans tacto ubere totum
legit, et accumbens ad singula fercula carptim
Salernitanae recitat praecepta scholae ; nec
ante cibum somnumque capit, quam ruminet unum,
pendet ab his, propriasque facit pendere sorores,
vicinasque nurus, et amicis sobria laudat
prandia. Tam sicca est, vel amans Nereidos undae,
nil minus, in calices curvatur, ut amphisbaena

in fluvium. Nupsit Baccho, vultusque rubore
testatur, quantas fundo vacuaverit urnas,
potitat assiduo, datque oscula cara lagenae.
Aut bibit, aut loquitur, sputumque volubile miscet.
Quondam etiam torto facit enthymemata nodo.
Vah ! Huic conveniens quis epistomium dabit ori
Harpocrates ? Fluit, ac pertusum est undique labrum.
At nescis, Bassam, nuper sanasse propinquum ?
Scilicet in dubio Chrestilli vita pependit,
donec cum libis anus unguentaria venit.
Decrepita est. Hoc se praefert, frontemque coruscat.
Sulcatam rugis. Sed quid facit inter olores
argutos male stridula anas ? Cur praesidet, inquam,
doctorum in coetu Laecania spurca virorum ?
Cur immo spernit ? Viscosi vincula morbi
sola exploravit ? Sperat dissolvere sola ?
Cedite glandiolae, Sennerti ; cedite pancae.
Inventum est nobis aliquid praestantius. Alcis
Ocyus huc ungues, ait, et cataplasmata ferte,
instat, et affligit. Tum molliter ore renidens :
"Hoc popanum tenue, hos pastillos ipsa paravi.
Semina Romanae fragrant permista nigellae.
Hoc docuit pater, hoc avus, hoc matertera." Nugae !
Talia cum plausu ! Rumpit mentita columnas.
Tu ride. Nam mox eadem Laecania, quanta
cumque tumet, palmamque viris auferre laborat ;
fabula cum finita est, et posuit caliendrum ;
vasa domi purgat, scalasque ; et mollibus aptat
staminibus radios, et versat pollice fusum.
Ut ferus accusor crudusque poeta. Quid autem ?
Subticeo verum, an verum male profero ? Nonne
Baccara letiferum nuper malesuada Procillo
miscuit arsenicum, cum crederet esse salubre
antidotum ? Laudare queas a pignore, dices,
hunc sexum, tener est, sentitque aliena dolendo
vulnera. Blanditias ex imo corde propinat ;
vixque tenet fletus, aliquid cum flebile cernit.
Hac mulier placet ergo tenus. Toleretur, ut aegris
jura coquat, sternat lectos, alimenta ministret ;
cum pueri rumpunt uteros, parientibus adsit,
hemicyclum teneat, caput allevet, ac succollet.
Nil equidem contra luctabor, si calamintham
verbascique premat cumulos stillantis odoros.
Sunt spicae Cilicum calthaeque ac suavis amellus,
Cum cyanisque anemon, et ros maris. Est rhododaphne,
Juniperusque, thymusque, immortalisque amarantus.
Pinea nuxque oleo manans, et Celtice nardus.
Eliquet. Haec namque Aspasiae concedimus ultro.
Ut quid in abstrusa penitus ratione medendi
praesignes aequare viros ac vincere gestit,
de lauro ac quercu cum pondere nomen habentes.
Non herbas vulgo notas, non obvia curat
pharmaca. Mustelae cerebrum, vulpisque lienem,
humanique sagax cerebri secreta requirit.
Pluraque nosse cupit, quam sciverit usa dracone
auriga virgo, gelidis Aeetias oris.
Theriacam Andromachi occultam, virosaque profert
Castorea, et si quam dimisit Mumia costam.

Insuper auguria, atque horoscopus, et Petosiris
illi tentantur quaerit commercia Lunae,
et qua stella domo se quaeque optanda receptet ;
somnia damnatique Almansaris impia confert.
Sed quae vitam inter chirurgos, ac ciniflones
degit et astrologos, transtra et praesepia jungens,
nec dubitat morbum quemcumque invadere lixae.
Mensuramque manu venae librare virilis :
a sexu Thelesilla suo non sponte recedit !
Hoc agat, et mutet nomen. Convicia dicat
naturae tunicam et mitram. Et redimicula ponat,
vestituque novo Paduam se conferat. At ne
sic quoque prodatur, lento conamine quadret
verba loquens graviore sono ; retroque capillos,
quos habet, affigat mento ; ac barbata vagetur
muribus Alpinis medias succincta per urbes.
Pulchrum iter, et dignum curru, Berecyntia Mater,
progressura tuo : nisi Salmacis Hermaphroditus
praevortat. Primas petet haec Galenis habere.
Si tamen et veri Galenum nomine Patris
dignatur, nec cuncta volet debere sibi ipsi.

## SCAEVAE LONGARENI DIVITIS ARGRI ET ATTALI JUCUNDI MEDICI LEPIDUM CONVIVIUM

M2_18
Albinovanus atrox nugator, et hic quoque dignus,
omne caput cujus sarcasmis ac cinere atro
defricet, emaculetque mei lixivia Flacci.
Captus enim forti pinguis nidore culinae,
hanc Chymistarum fornacibus, hanc apothecis
Persarum anteferens, ceu bucco mugilis intrat.
Attalus huic par est. Mores adverte Gnathonis,
Longarene, tuae quoties admoveris ollae,
nil intentatum, nil prorsus linquit inausum ;
te vetito minimum morsu contingere fungum,
hoc prodesse sibi, quod obest tibi, pluribus acer
et crudelis adulator probat. Orbiliorum
ecce novum genus ! Hac cura moderator acutus,
quanto durior est, quantoque severius instat,
et cohibet rictus ; laudes ac praemia poscit
majora, argenteos flavescentesque Philippos,
nominis usque tui studiosior atque salutis.
Ergo actum est. Da scaeva manus, atque accipe frenos
oris, et obdura. Tu dorso tubera ferre
cogeris ac bullas, quales Hispanica punctim
musca creat. Medicus subridens tubera terrae
sumit, et irato fruitur caeloque Deoque.
Esto : tonet. Tanto citius dabit icta Cybelle
praedulces bulbos et condimenta gulosa,
eruptura solo. Quo scilicet Attalus optat.
De fungis loquimur : cum phoenicopterus ingens
et lepus, et perdix, et dama, et Phasidos ales
descendant unum in stomachum, mullique trilibres
Hic tibi pygargum ? Sed vix permittet alaudam.
Si multas mereare, duas : et paucula fraga.
Cum citro ; sic, ut castiget Hymettus acorem.
Ipse Venafrana lactucam reddit oliva

spumantem, et crispos non vili rore saginat.
Tu miser in molli pulvino emblemata cenas,
solis usurpans oculis, quae traicit alter.
Laetius est aliquid mimo vel acerbius isto ?
Erga sedes, taciteque gemis, bilemque latentem
substringens oculis, puerilia vota resorbes.
Passaviensis olus glebae, quia mite, probatur.
Forsitan hinc liceat pennam decerpere. Suffla.
Debetur medico frigus geniale palato.
Tu ! quid enim ? Vin, Paulle, mori ? Cichorea per hujus
incrustata meant barathrum. Tibi pruna vetusta
sufficiant ; et jus, quod ego gustare recusem ;
ille quoque, in cujus pede ferreus annulus haeret.
Numquid muraenam cuperes ? Prior Attalus edit.
Suspiras peponem ? Sed providus Attalus arcet.
Ostrea delibas ? Mox Attalus, ah ! cave multos
vilis et ejectae conchae putredo necavit.
Cur non et medicum ? Crudas quia corrigo faeces.
Haec fatus tota muriae se proluit orca ;
nondum, Longarene, crepas ? Qui talia dudum
aspicis, et siccis allatras vina labellis.
Forsitan argutum convivam ludere credis,
ut tibi festivus languentem irritet orexin ?
Hoc agit, ut doleas, ac lividus ilia rumpas.
Acrius urit enim, stimulosque dolentius addit
vulnificos vicina, sed interdicta voluptas,
exclamare libet. Quis te, nove Tantale, terris
ostendit ? Quove has meruisti crimine poenas ?
Cum Pelopem improlis nullum, puto, coxeris. Atqui
inter et albentes rubrasque abstemius undas
quaedam etiam toleras ipsi ploranda Sophocli.

## SATYRA XIX. DE IUDAEO AGYRTA ET PROTERVA CINGARA, IN NUNDINIS, ANNO CHRISTI...

M2_19

Rem lepidam narrare libet. Quo Turnius anno
arma coronatae strinxit Pragensia Brumae ;
atque rebellantes ceciderunt Marte Bohemi.
Cum juveni tonso nondum mihi barba sonaret ;
nondum ejurato vanae testudinis usu
forte alacer socio, quem Virgo Colonia nobis
junxerat, Alsaticam comitante ferebar in urbem ;
consita quae circum Alcinoi certantibus hortis
nomen ab argento pretiosum ac nobile sumpsit.
Nos cura humani ingenii provexerat illuc ;
merx alios, et spes lucri, magnumque forum. Nam
tempus erat, quo se studiis venalibus aestas
conterit, et loculos dominosque pecunia mutat.
Plurima per plateas passim juvenile vagantis
mulcebant oculos. Tenuit vehementius albens,
et cristatus eques, Judaei semen Apellae.
Ardelio mirandus erat, Tithonia vulgo
secula, et Euboici promittens pulveris annos.
Omnes implebat numeros trivialis Agyrtae.
Galbana pendebant humeris, et fascia collo.
Multicolor texit caput umbravitque tiara.
Ad latus ex grandi stellatus pugio gemma.

Lutea caeruleis fulgebant cingula bullis.
Par vestitus equo nisi quod discrimine cocci
ac brutis phaleris sessorem vicerat ipsum.
Si similem vidi ! Si Smyrna aut Mantua finxit,
protulit hunc si vel Peligna. Vel ultima tellus !
Ille autem mortis dominum vitaeque professus
verba loqui decies decumana, at pondere cassa,
sesquipede extabant rauco protrusa palato.
Suffecisse reor captum ex majoribus unum
auri stipandae quamvis Phrygiae, atque capaci
ad Lugdunensem dicturi Stentoris aram,
aut recitaturi longam Theseida Codri.
Audin ? ut resonat ! quanta est fiducia buccae !
Audin ? Cracoviam Tamesis praeterfluit ! Olli
est apud extremos lustrata Neapolis Indos.
Pannonia Almonem, Campania potat Araxen.
Hoc est, Wolfgangi procul abjecisse securim.
Respira paullum recutite. Reciprocus aer
deficiet. Quin immo, velut Marpesia cautes,
et frontem et linguam obduras in marmor, et aures
cote seris ! Dic, te in media vidisse Suburra
Chinenses portas, Pelusiacumque Cairum.
Currenti quis calcar equo jubet addere ? Fecit,
stabant hiscentes avidique audire coloni,
ac si fatidicus nutaret cornibus Hammon.
Cum tamen immani mendacia turgida fastu
quamvis robusti curvarent crura caballi.
Sauromates, Chaldaeus, Arabs, Syrus ac Syrophoenix,
quidlibet optasses, voluit potuitque videri.
Parturiunt Libani montes : peperere forensem
damnosam vulpem, Samsonis forcipe dignam,
ecquid enim ? In flavo speciosa coagula vitro,
re vera, fumum populo veterator ineptus
vendidit, arcani lapidis mirabile sulphur.
Adjecta gratis medicata glande trigona.
Deprensum est : quicumque nucem glutiverat unam,
ex illis nullum penitus gustasse secundam,
boleto similem, post quem nil amplius edit
Claudius. Ac vix se bis circumvolverat annus ;
serius admonuit clades jam publica cives,
verpum odio Christi caedes patrasse nefandas.
Non rota, non unus vultur, non culeus unus,
nec Diomedeis aliqua ex praesepibus, istud
Isacii frustum satis expiet ungula lumbi.
Sed cur non etiam sexus damnetur iniquus,
femina, praesertim Phoebas studiosa videri,
ausa suas medicis praeferre ferocius artes.
Urbis in ejusdem spatiis, ac tempore eodem,
quid mihi contigerit porro, properabo fateri.
Murus ubi geminus vasto connectitur arcu,
Cingara terribilis, terrorem et crinibus augens,
finibus e Phariis, sic fors tulit, obvia facta est.
Prae nimia facies fulgere nigredine visa,
quomodo corvorum plumae tenebraeque renident.
Grande supercilium, frons parva, oculique rubentes.
Tecta latus, sed nuda pedes, humerumque sinistrum.
Qua parte endromidem patula cervice remisit,
depilis halabat foetentem pellis amurcam,

mira docebat, uti certis regerentur ab astris
corpora, ut acciperent vivendi habitumque modumque.
Cum semper partus caelestia signa sequatur,
Bos, Aries, Cancer fingunt sibi consona membra.
Dant Gemini formam, fecundant viscera Pisces.
Libra virum trutinat, moresque inducit honestos.
Cogit amare caper. Nutrit Leo flammeus iram.
Mitior insanum compescit Virgo Leonem.
Solertesque facit, porrecto Scorpius arcu
pondera maturans fastidia matribus aufert.
Exacuit telis animum jaculator, et illi
pro meta ingenium est. Contristat Aquarius annum
imbribus assiduis ; sed sidere mollit aquoso
felicem Genesin, et primam levigat horam.
Cur hic nascatur deformis, et ille venustus ;
intra Zodiaci gyrum latet abdita causa.
Si Citherea volet, fies formosa Lycoris.
Si volet haec eadem, fies rugosa Philaenis.
Ex oculis totoque fluunt mysteria vultu.
Quae quibus anteferam ? Quot non movet omina nasus ?
Simus amat, pandus fallit, suspectat acutus ;
magnanimum longo dignoscas, flante ferocem ;
praesignat crassus stupidum, timidumque rotundus.
Talia narrantis leve vulgus ab ore pependit.
Cum propius tetuli gressum, ac suspensus in aurem
Petri Buschmanni, lateri qui proximus ibat ;
experiar, musso, quid fusca venefica possit.
Dic bona Carmentis, cujum pecus ? Ede, quis hic est,
quisve erit ? Et decimae nomen meritura Sibyllae,
plus quam Phoebas eris, nec sola atque unica vatis
filia Tiresiae, Cassandraque, nomen habebit.
Protinus explicitam jactantior offero palmam.
Inspicit argutans, totamque intenta pererrat
luminibus tacitis ; ramosque examinat omnes
mensurasque sinusque volae. Num linea longa,
num brevis, inque cruces sectas obliqua recurrat.
Quippe alias Fortuna, alias Natura figuras
vindicat, et nostram rhombos seponit in artem.
Omnia pondus habent. Ipsoque apparet in ungue
ac digitis etiam, minimo disconvenit index :
pollicis et quarti variantur munia flexu.
Plura quidem interpres, sed et haec, Nilotica. Tandem
suspiciosus homo es, votisque volantibus, inquit,
fervidus indulges, ac laetos quaeris amicos.
Curarum fugiens et tantum sollicitus, ne
sollicitudo premat : Musisque intentus amoenis
odisti versare molam, vel frangere glebas.
Impatiensque jugi clitellas abjicis omnes,
magnificis etiam titulis et honore nitentes.
Quod lubet, excultim peragis, quod respuis, haeret
immotum, ceu navis iners sine remige et aura.
Felix, si tetricae vites commercia sectae
et simulare bona, et mala dissimulare docentis.
Quin fugis amphibios, et fortuna ex aliena
tormentum invidiae pleno pulmone trahentes ?
Ac quibus in pretio est immensa libido tacendi,
ne metuas tauri flatus, et pinguis omasum
ventris ut es gracilis, semper, dum vita, manebis.

Te lyra, te citharae, te Bacchica serta sequentur.
Hactenus audita est. Sed cum de conjuge lusca
trans freta ducenda Tartessia ; deque remoti
aequoris ingressu, delphinorumque choreis.
De belli furia, capitisque instante periclo,
lucis et usura breviore ; tribusque capellis,
atque aliis centum nugis, quas prodere nolo :
infremui, vertique manum ; colaphoque sonante
responsum pretiumque dedi meque ocius inde
rursus ad oenophorum. Petro plaudente, recepi :
qua caput albus equus notis insignibus effert.
Laetus ibi et dulci resolutus uterque Lyaeo
diluimus curas, ac spissum risimus una.

## SATYRA XX. MEDICI CUIUSDAM LONGE CLARISSIMI TABACOPHILIA, ET FATUM.

M2_20

Aspicis, ut teretem Gangetica bacca catenam
non humili nodo stringens, per colla Tigelli
defluat. Iste Tigellius est, quem gratia regum
splendida gemmarum caro circumdedit hamo.
Mirus in unguentis. Hic est, qui invenit amomi
multiplices usus, ac mille remiscet odores.
Idcirco astragalis gradiens incedit. Ut ut sit :
non traho in exemplum commune recentia semper
prodigia, augmento vani quandoque favoris
in majus cumulata. Ideo balanatus apud me
plus valeat. Quam sulphur olens, et pelle soluta
allia ; et inferno qui proximus esse camino
creditur, Hannovici fumum flammamque tabaci ?
Ille Machaonides notus mihi, cui breve nomen
sed clarum dedit ac meritis aequavit honorem,
aetherium sidus, Mortique erepta Sagitta.
Audebat recto nebulis occurrere vultu.
Fistula quas longis tenuata canalibus efflat.
Jam quoties bibit, ac labris admota cicuta est,
erupere cavo flamma et vapor. Omnia visa
ardere, ut barba Antilochi. Duravit in aestu
vestitus crassa fumantis nube tabaci.
Utque ferox miles, quamquam ferrata globorum
nox tenebras densat, pergit caligine septus ;
sic, ubi Bassarides proflarunt nubila cannae,
stabat et hic Capaneus media in vertigine caeli
ac cerebri ? Et duplices rimatus lumine Thebas
torrentem fumi cataractasque ore vomebat.
Quem non aeripedes potuerunt vincere tauri,
territus aspectu primo fugisset Iason.
Ipse autem in medio paeti vinique furore
occinere : o flatum nardi fragrantis, et auram
malobathri, Elysiis qualis procedit ab hortis ?
Hic vir, hic est, tibi quem laudari saepius audis,
paeticola in paucis herbae memorandus amator,
et medicus ! Pestem ac psoram, et contagia leprae
doctus et impulsu morbos superare trilices.
O ergo, posthac linguis animisque favete.
Vindicis armati cineres osoribus obstant.
Sit sacer, egregiae qui contradixerit umbrae,

Virginiae calidum (tanti est assuescere ! ) germen
poscebat moribundus adhuc, et caecus, et impos.
Jam nunc magna sui sub terras ivit imago.
Uda tabacophili tumulo prosternite serta.
Non myrrham hi Manes aut signa cupressina curant.
Undantis tumbam foliis incingite paeti.

## SATYRA XXI.DIVITE, ITA FATIS POSCENTIBUS, EXSTINCTO, INEPTE CAUSAM MORTIS ET CULPAM ...

M2_21

Ultimus  aerumnae  cumulus ! Quod nemo queratur,
nemo fleat Codrum nuda in tellure jacentem.
Pauperis interitus Cerdonis non movet ullum.
Acrius exstinctus passer te, Lesbia, torsit,
et Violantillam Stellae defleta columba.
Fortius Aldinae Barclaius fata catellae
luxit. Vertumno et tali stultescere quando
dulce fuit. Nullum ingenium jam criminis expers ?
Ut monui tamen, haec mendicos orbita versat.
Flebilis illorum vita est, et ridicula est mors.
Divitis aurati redolens unguenta cadaver
tollitur hexaphoro, magna ambitione ferentum.
Accedunt vultus, quales Priameia virgo.
Et gener, et conjux diis ostendere dolentes.
Tunc manare genae, tunc palmis pectora caedi,
evulsisque comis lacrymae, non pollice, tergi.
Tunc sontes etiam Superos, tunc odimus umbras.
Odimus et medicos. Ubi Fracastorius haesit ?
Cur tam sero pedes ? Per tam longinqua viarum
Bellerophonteas cur non laxavit habenas ?
Non poterat coquere ex gemmis regale minutal !
Marcidus in venis exsultat iaspide sanguis
admoto ; cordis minuunt electra tremorem.
Certius ac multo securius applicuisset
temporibus calidis gallinae viscera nigrae.
Hae populi voces carum lugentis amicum,
damnantisque moras. Quibus autem parceret atrox
bellua multorum capitum, leve vulgus, et irae
vilis mancipium ? Facilis censura sedentis
effossa sub humo Galli cum pectine longo
et cum verrucis civilia bella gerentis.
Quid gannis textor ? Tibi Fracastorius ergo
Mermannusque aliquis male consuluisse videntur ?
Tritum, sed verum cecinit Sulmonis alumnus.
Non est in medico semper, relevetur ut aeger :
interdum plus arte valent mala. Denique si quem
urna citat, tabulisque erasum est nomen, abire
cogitur, attineat frustra Sennertus euntem.
Consumet plenas vacuans myropola tabernas.
Anticyram totam purgando mittat in alvum.
Plenos helleboro nequidquam admoverit hortos.
Pontica nil prosunt ter victi germina regis :
non grave scammonium, non plumbi spuma recocti,
stillaque caelestis, tua dos, Thaumantias Iri.

## SATYRA XXII. AD PAULLUM CORDUBAM MEDICINAE CANDIDATUM.

M2_22

Prima voluptatum, Paulle, ac palmaria, vita est,
et quoniam tantum conceditur unica ; Cyri
nobilior gaza, cunctas superante bilances.
Nil adeo temere summis in rebus agendum.
Suadet amor pretii. Sua cuique est cara palumbes,
cara anima, et justo servari digna duello.
Diis sacer Eutrapelus, vilem tenuemque colonum
neglectu fastuque necans. Cave, quod sit obesus.
Appelles probro Corydonem, Corduba, truncum.
Ille tibi stipes ? Sed scito, in stipite quondam,
si Naso non falsa canit, flavi Meleagri
vitam ac fortunas multos latuisse per annos.
Donec ab Althaea magicum conjectus in ignem
arserat, atque una fato Calydonius heros.
Forsan et huic nutrix, vel Thestias una sororum,
nodoso agricolae lignum fatale notavit.
Nescis Threiciam myrtum tentante bipenni,
subter ea Polydorum, ut ferri senserat ictus,
quid miserum, Aenea, laceras ? Clamasse sepultum ?
Nempe Alpina suam fixis radicibus aeque
vitam quercus amat, quernoque e robore nati,
ac cedrus et cedrini, cretique Simethide nympha,
aut a Liriope, Cephisi flumina juxta,
in violas mollesque rosas ac lilia fusi.
Qualemcumque animam retine sufflamine quovis.
Saltem momentum, saltem de vellere vitae
quod superest, fractamque colum servare memento,
non redeunt Erebo, si quos transmiseris illuc.
Sorbet humus stantes cum curribus Amphiaraos.
Sed quando vatem Latonigenae dilectum
ad Superos Pluto rupta tellure remittet ?
Amphitryoniades memoratur pervia retro
Taenara, cumque suo patulos habuisse recessus
Pirithoo Theseus ; Geticique ad vota mariti
Eurydice. Tanti fuerat testudo locuta.
Quamquam haec respiciens iterum revoluta deorsum est,
et citharae pretium in Stygias evanuit auras.
Cynthia se reparans, solesque ac sidera possunt
occidere in fluctus, et splendida rursus oriri.
Ast homo, cui semel est sopito lumen ademptum,
perpetuam noctem plebeio in pulvere dormit.
Vas igitur medicus pretiosum, at fictile tractat,
afflictae quoties explorat murmura venae.
Testa sumus fragilis, pulsu casuque perimus.
Saepius. Ah ! phialam ludens incuria frangit,
quam tamen Architas nulla instauraverit arte.
Frusta solo dispersa jacent, non amplius apta
usibus humanis. Feretro Pantilius effert.
Servari poterant, si prudens Fronto fuisset.
Ergo age, et aegrotum solerti indagine serva.
Cum manifesta notas supremae verbera luctae,
ac tremulos artus frigus letale subire ;
hic te ostende virum ; factusque repente Prometheus,
ingere semineci vitales ingere flammas,
unde unde, e caelo raptas, an ab arte magistra
ingenioque tuo. Non est, quod fulminis iram

propterea metuas, nubemque secantia tela.
Hanc veniam dabit ipse Tonans, laudare paratus
Iapetioniden meliori e semine fabrum,
qui vetet in terram terrestria membra relabi,
perpetuo sacri renovans ea fomitis igne.
Quocirca sic, Corduba, habe, memorique reconde
affatus animo. Medici fortuna latere
candida et atra nequit. Magno vulgantur hiatu
omnia. Tu famae laetum tamen addere pondus
funestumque potes. Nam si alti sanguinis heres.
Cum facilem cives, vigilantem noctibus aegri
optarent, aurem dormis in utramque supinus ;
si tumido sermone ferox et crudus, inani
paupere contempto, solis locupletibus instas ;
cum gemat exclusus canibusque relictus, hiulca
Lazarus exsertis lingentibus ulcera linguis ;
si deses, populique nigro carbone notatus,
suspectusque fera dudum cum morte pacisci.
Stragibus accumulas strages ; crebroque recentes
Manibus inferias mittis, nautamque fatigas ;
Phoebea quamvis ducas ab origine longum
et genus et titulos ; jam vappa merebere dici.
Incipit Hippocrates contra te stare tigillo
suspensus, veloque oculos obducere velle.
Cujus et e gypso mihi monstras effigiem albam,
arguit indignum prostrans Avicenna nepotem,
et, si te possit visus spectare, ruberet.
Sin promptum te semper opem poscentibus offers,
si sanas, et non oneras Hecateide potu.
Tunc licet e caula venias oriundus ; et arva
prosciderit curvo genitor Boeotus aratro ;
jam nil ruris oles, stivaeque umbracula cessant.
De quocumque tui scindat sibi cortice nomen
natales, ramos atavis sublimius effers,
ipse tuae stirpis princeps ac nobilis auctor.
Caelasti virtute patrem. Dignissima fecit
patriciis medicina parem. Das jura tremendis
consulibus : paret accessus praetoris ad aurem.
Submittunt se sceptra tibi ; positisque coronis
exspectant reges, quod fatum edicis, anheli,
signa duces belli, vexilla volantia figunt
ad nutus velluntque tuos. Tibi navita pronus
supplicat, inque tua suspendit carbasa dextra.
Plus aliquid dicam. Medicus spectatus abunde,
cujus ad eximiam probitas accesserit artem,
et sancti mores, et castae regula vitae ;
mortali sorte eductus, ceu numen in Orbe
incedit, spargitque manu caelestia dona.
Votis ac radiis, ipsa dignabimur ara
divum, si Cosmas, si sit Damianus in illo.